MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80191-15

AUTHOR: ALTWEGG, WILHELM

TITLE: DE ANTIPHONTE QUI DICITUR SOPHISTA

PLACE: BASILEAE

DATE: 1908

Master Negative #

91-80191-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Altwegg, Wilhelm, 1883- Ga 71

De Antiphonte qui dicitur Sophista quaestionum particula. i. De libro περὶ ὁμονοίας scripto. Dissertatio. Basileae, Gasser & cie, 1908.

pp. 98+. "Vita," after p. 98+.

7245

Antiphon Sophista

HCL 12-859

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/26/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



















DE ANTIPHONTE QUI DICITUR SOPHISTA
QUAESTIONUM PARTICULA

I.

DE LIBRO ΠΕΡΙ ΟΜΟΝΟΙΑΣ SCRIPTO.

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

UNIVERSITATIS BASILIENSIS

PHILOSOPHORUM ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS ALTWEGG

BASILIENSIS.

BASILEAE

EX OFFICINA GASSER & CIE.

MCMVIII.

Genehmigt von der philologisch-historischen Abteilung der philosophischen Fakultät auf Antrag der Herren Professoren Dr. *H. Schöne* und Dr. *F. Münzer*.

Basel, den 17. Februar 1908.

Prof. Dr. F. Sommer,
Dekan.

Antiphontis sophistae qui dicitur memoriam saeculorum decursu intermortuam cum Ruhnkenii, clarissimi viri, discipulus quidam, Petrus van Spaan[1]) resuscitasset, certioribus lineamentis primus adumbrabat speciem Hermannus Sauppe.[2]) Et valuerunt viri tanta doctrina quanto ingenii acumine praediti sententiae apud omnes harum rerum peritos diutissime, nunc quoque valent apud clarissimos.

At nova proferebant A. Croiset,[3]) Bureschius,[4]) Duemmlerus,[5]) Blassius,[6]) Wilamowitzius,[7]) Joëlius,[8]) St. Schneider,[9]) eaque ut luculentissima permulta, ita nonnulla cum inter sese discrepantia tum ab eis, quae adhuc probata putabantur. Quin fundamentum ipsum disputationis evertebat Joëlius unum eundemque virum dicens, quos distinctos voluerat

---

[1]) Dissertatio de Antiphonte oratore Attico, quam praeside D. Ruhnkenio defendit a. d. XV Maii MDCCLXV in Academia Lugduno-Batava doctus iuvenis Petrus van Spaan. — Quam disputationem inter Ruhnkenii opuscula (I pp. 142—182) receptam perperam ipsi viro celeberrimo tribuere solent.

[2]) Oratores Attici (1850) II pp. 138—153; Commentatio de Antiphonte sophista (Ind. schol. Gotting. per sem. aestiv. a. MDCCCLXVIII habendarum = Ausgew. Schriften pp. 508 sqq.).

[3]) Annuaire des études grecques XVII (1883) pp. 143—160.

[4]) Consolationum Graec. et Roman. hist. critica (Leipz. Stud. IX (1887) pp. 1—170). Locorum principes vd. in libelli indice s. v. Antiphon.

[5]) Akademika (1889), vd. indicem; Prolegomena zu Platons Staat etc. = Kleine Schriften I, vd. indicem.

[6]) Commentatio de Antiphonte sophista Jamblichi auctore (in principis diem natalem, Kiliae 1889).

[7]) Aristoteles und Athen (1893) I 170,71; 173,77. Wilamowitzium autem secutus est H. Diels, qui sophistae fragmenta post Sauppium Blassiumque denuo collegit: Die Fragmente der Vorsokratiker[1] 80 pp. 550—562, II[2] pp. 587—606.

[8]) Der echte und der xenophonteische Sokrates II pp. 629—673.

[9]) Ein sozialpolitischer Traktat etc. (Wien. Stud. XXVI (1904) pp. 13—24).

Sauppius oratorem Rhamnusium, sophistam, poetam tragicum.[1])

Quare operae pretium facturum me esse existimabam, si denuo accuratius inquirerem in sophistam quem appellare consuevimus, atque cum profecisse aliquid in cognoscendo eo mihi viderer, quae effecissem viris doctis examinanda proponere audebam.

---

[1]) Adstipulati sunt Joëlio E. Drerup (Fleck. Jahrb. XXVII suppl. p. 300), A. Croiset (Histoire de la littérature grecque IV pp. 83 sqq.), H. Gomperz (Archiv für Gesch. d. Philos. XII (1906) p. 259).

De veterum testimoniis exordium.

Quaestionis autem initium capiendum est a veterum testimoniis. Quibus nisus Sauppius sophistam et ab oratore et a tragico distinguebat de eoque haec statuebat (Comment. p. 7): „Quamquam igitur memoria eius admodum obscura est, certo tamen constat eum Atheniensem fuisse, invidia quadam ductum identidem altercari cum Socrate coepisse, sed ut confidentia eius facile comprimeretur, eum scholam aperuisse (*διατριβὴν συνέστησε*), Corinthi aliquando se solatia luctus cuiusque et doloris parata habere professum esse, coniectorem fuisse et somniorum interpretem, dicendi genere usum esse grandi, specie magis quam re gravi, aspero, ut breviter potius omnia assereret, quam diligenter demonstraret, scripsisse libros complures, primum cui inscriptus esset *Ἀλήθεια*, deinde *περὶ ὁμονοίας*, tum *πολιτικόν*, denique *περὶ κρίσεως ὀνείρων*.“ Sed peccavit vir doctus, quod, priusquam testimoniis uteretur, quomodo inter se singula cohaereant et quae cuique sit fides atque auctoritas, antea non scrutabatur, recentioribusque antiquiora, e quibus fluxerant, confirmabat novaque ex eis efficiebat. Itaque fieri non potest, quin totam quoad licet Antiphontis vel Antiphontium revocemus historiam. Sed hacce opera cum plurima eaque gravissima de auctoribus, quibus testimonia debemus, efficere liceat atque exemplo demonstrare, quo modo quibusque rivulis memoria viri in litteris Graecis clari per saecula sit propagata, de Antiphonte tamen sophista neque aliud quicquam certi statui potest neque, num idem fuerit atque Rhamnusius, prorsus discerni. Itaque ex commentatione copiosiore, quam conscripsi de veterum testimoniis, hocce quidem loco capita tantum excerpens non proferam nisi quae de locupletioribus eorum sentiam, neque sententiarum mearum adiciam argumenta.

Xenophont. Mem. I 6. Ac primum quidem locum illum Xenophonteum (Mem. I 6; cf. Diels Fragm. d. Vors.[2] 80 A 3), quem de Antiphonte sophista principem esse omnes perhibent, ad Antisthenem redire post Duemmlerum[1]) recte iam statuit Joëlius.[2]) Tribus vero quae continet colloquiis unus subest dialogus Socraticus, quo anno fere 386 ficto Cynicus Socratis mortui iam persona indutus disciplinam suam ipsius defendebat ab Isocratis, quem sub Antiphontis eiusdemque mortui persona induxit, reprehensionibus illis in oratione, quae inscribitur κατὰ τῶν σοφιστῶν, prolatis. Quae cum ita sint, de Antiphonte quidem testimonium haud tam multa praebet, quam viri docti adhuc existimabant. Nam cum quaecumque in Isocratem quadrant, eius gratia commemorata esse statuendum sit, hoc tantum efficere audeo spectari a Cynico Antiphontem quendam cum Socratis temporibus Athenis versatum, tum multo ante a. 386 mortuum sibique sive ob vitam sive ob libros ingratum, ut neque vulgi cognitio neque ipsius aestimatio, ne persona illo uteretur, impediret. Iniuria certe dicas probari, quod vulgo creditur, re vera eum cum Socrate contendisse vel disputasse,[3]) vel talem fuisse vitae degendae eius rationem atque consuetudinem, qualem descriptam legimus apud Xenophontem. Qua de causa ne id quidem constat, rebus civilibus eum incubuisse, neque mercede accepta iuvenes instituisse vel luxuriosius vixisse vel εὐδαιμονίαν discipulis promisisse.[4]) Itaque difficillimum est disceptatu, quemnam ex diversorum Antiphontium numero Cynicus in mente habuerit. Ne Rhamnusium intellegamus, meo quidem iudicio nil obstat; immo quae certa de eo statui possunt, talem suppeditant virum, qualem Antisthenis fuisse posuimus. Nam ne in temporum rationibus morer, erat quem propter vitae cultum quam maxime Cynico displicere oporteret; praeterea sicut Isocrates

[1]) Akad. 81, 171—172, 154; Kl. Schr. I 304.

[2]) l. l.

[3]) cf. Zeller Die Philos. d. Gr. I 2[5] p. 107, Duemmler Akad. 81.

[4]) Wilamowitz A. u. A. I 174 adn.

hic quidem Antiphon oratoris artem exercebat mercedemque sine dubio poscebat.[1]) Neque obstat, quod a Xenophonte addebatur cognomen τὸν σοφιστήν,[2]) quoniam non solum oratoribus ipsis, qualis erat Rhamnusius, et ab aequalibus et a posteriorum temporum hominibus tribuebatur, sed etiam a Xenophonte non est desumptum nisi e dialogi Antisthenici parte ea, qua ad falsum Isocratis usum refellendum vocum inter se oppositarum σοφιστής et φιλόσοφος notiones verae ac genuinae explicabantur atque ita adhibebantur, ut Socrati esset philosophantis laus, Antiphonti cognomen sophistae.

Aristoteles. Aristotelem autem a Sauppio reliquisque omnibus prorsus neglectum ratione illa, qua auctores laudabat, bene perpensa seiunxisse primum apparet Rhamnusium et tragicum. Quae vero de simultate illa Socrati cum Antiphonte exorta tradit (A 5 Diels), cum e Xenophonte non fluxerint, ad eundem dialogum Antisthenicum referenda sunt. Sed cognomen illud coniectoris (τερατοσκόπος) neque ex hoc neque ex alio quodam dialogo Antisthenico[3]) desumi poterat. Fuit igitur Stagiritae Antiphon quidam cum diversus et ab oratore Rhamnusio et a poeta tragico — ut e cognomine ipso evadit — cognomineque coniectoris satis notatus, tum talis, qualem ab Antisthene in dialogo Socratico a Xenophonte exscripto inductum esse putaret. Quem eundem libenter dicas atque eum, cuius alibi cognomine non addito laudabat de quaestionibus naturalibus mathematicisque sententias. Ergo Aristoteles primum quidem diversos habebat Rhamnusium, tragicum, philosophum quem liceat mihi appellare; deinde hunc virum ab Antisthene spectatum esse existimavit. Quarum sententiarum altera

[1]) cf. etiam quae de Rhamnusii cum Antisthene simultate exposuit Joël II 647 sqq.

[2]) Cui post Spaanium confidebant Sauppius praeterque Joëlium reliqui omnes.

[3]) Joël II 646.

non est nisi coniectura hominis sane doctissimi sagacissimique, quae num probanda sit, inquiremus, cum viri illius, quem subesse posuit dialogo, naturam atque indolem fragmentis examinatis cognoverimus; prior certa memoria niti videtur. Etenim tragicus quidem, de quo a Dionysio Syracusano necato (Rhet. II p. 1385 a 10) dubitare[1]) non licet, profecto non solum alius erat atque Rhamnusius anno 411 damnatus, sed etiam diversus a Socratis qui fingebatur aemulo, quandoquidem non iam inter vivos fuisse videtur tum, cum Antisthenes dialogum edidit.[2]) Itaque nil relinquitur in ambiguo nisi distinctio illa Rhamnusii a coniectore seu philosopho. Retinenda igitur Aristotelea, donec alia suadent testes locupletiores.

Plato. Plato autem philosophus, quem adiungere liceat, cum Rhamnusium semel velut artis oratoriae peritissimum laudaret (Menex. 236 a), sophistae vel coniectoris vel philosophi nominis mentionem nusquam fecit;[3]) nimirum non habebat, cur hominem iam pridem mortuum vel impugnaret vel defenderet impugnatum.

Philodemus. Confusionis autem sophistae illius cum oratore, quae posterioribus temporibus valebat apud veteres, nobis quidem primus testis est Philodemus Epicureus (B 93 Diels).

Didymus. Contra Didymus, qui unus erat Hermogenis auctor, diversos distinxit Antiphontes (A 2). Sed omnino quidem complures exstitisse Antiphontes cuivis efficere licuit, cum exstarent huius rei testimonia *ἀπὸ ἱστορίας*. Duos autem distinguendos esse litteratos critico cognominibus freto non potuerunt non probare dialogi *περὶ ποιητῶν* Aristotelici Memorabiliumque Xenophonteorum loci, orationes adhuc servatae, memoria de interprete (cf. Chrysippi et Antipatri testimonia B 80). Coniectura igitur auctores distinxit Didymus; scripta

---

[1]) Joël II 649.

[2]) Perperam igitur iudicaverunt, ut taceam de Joëlio, Kayser Philostr. vit. soph. p. 215, Susemihl Alex. Lit. Gesch. I 868.

[3]) cf. Sauppii comment. p. 1.

autem nulla alia ratione[1]) usus distribuisse videtur, quam ut oratori orationes vindicaret, alteri cetera omnia.[2]) Quare Didymi sententia pro fundamento, in quo tota disputatio exstruatur[3]), esse non potest. Hoc tantum liquido apparet nota fuisse grammatico scripta Antiphontis nomine insignia, quae appellare licuit: *λόγοι φονικοί, λόγοι δημηγορικοί, λόγοι τούτοις ὅμοιοι, περὶ ἀληθείας, περὶ ὁμονοίας, πολιτικός*. Quodsi viri nonnulli eruditi sibi persuaserunt Didymum hanc opinionem aut in praefatione commentarii in orationes Antiphonteas compositi aut peculiari libro exposuisse, errare videntur. Huiusmodi enim libri nullum aut certum aut probabile vestigium; nec ullus Didymeae opinionis auctor praeter Hermogenem (et Suidam). Accedit, quod dissimile veri est Didymi aetate Antiphontem oratorem ab hominibus eruditis tanto studio tractatum esse, ut, si quis copiose de eo disseruisset, gratiam apud aequales initurus fuisset.

Dionysius Halicarnassensis. Ne Dionysius quidem Halicarnassensis magni aestimabat quem solum respexit oratorem, neque de distinctione illa quicquam habet.

Caecilius. Sed claritatem referebat Antiphontis nomini Dionysii aequalis Caecilius Calactinus. Qui Atticistarum quos nominant princeps, ut studiorum Antiphonteorum subsidia suppeditaret, et disputationem primus instituit peculiarem et lexicum paravit. Atque eundem eum putasse oratorem, Socratis aemulum, tragicum cum ex aliis rebus apparet, tum e vita illa Antiphontis, quae sub Plutarchi nomine perperam fertur

---

[1]) De sermone enim cogitabant praeter alios Joël II 639, Croiset Histoire etc. IV 84.

[2]) Emendandus enim locus spinosissimus cum Sauppio (cf. Blass Att. Beredts. I^2 p. 108, 2, Antiph. oratt.^{2} p. XLII; Diels[2]): *οὗπερ οἱ φονικοὶ φέρονται καὶ οἱ δημηγορικοὶ και ὅσοι τούτοις ὅμοιοι — οὗπερ οἵ τε περὶ τῆς ἀληθείας λέγονται λόγοι καὶ ὁ περὶ ὁμονοίας καὶ ὁ πολιτικός.*

[3]) Ut Sauppius voluit praedicans locum Hermogeneum tamquam illum „quo nullus in hac quaestione gravior esset“ (p. 5), laudibusque extollens Didymum tamquam „hominem superioris saeculi eruditione exquisitissima et reconditarum notitia litterarum insignem“ (p. 6).

(Blass Ant. or.[2] XXXII sqq.). Ad quam vitam tota redit et Photiana (cod. 259) et Philostratea (Vit. soph. I 15 p. 211 Kays.)[1]) et *Γένος*, quod in codicibus orationibus praemissum legitur (Blass Ant. or.[2] XXXIX—XL); nisi quod Photius e libro quodam iudicia Caeciliana continente de Antiphontis sermone adiecit iudicium, Philostratus librorum, quos ipse inspexisse videtur, descriptionem. Vita autem Plutarchea ipsa e Caeciliana tota ita fluxit, ut primum quidem describerentur, quae nunc legimus ab initio usque ad § 15 (.. *τοὺς κε΄*), deinde quae omissa erant indidem adicerentur reliqua. E Plutarcheis igitur addito et iudicio a Photio asservato et aliis quibusdam frustulis aliunde repetendis integra fere restitui potest vita Caeciliana. Hanc vero ita ortam esse apparet, ut ex singulis narrationibus, quae de oratore, de sophista, de tragico, de aliis praesto erant, discrepantiis sublatis una componeretur vita continua. Narrationes autem unde vel decerptae vel conclusae vel fictae sint, etiamnunc manifestum, neque de sophista novi quicquam praebent.[2]) Haeremus tantum in narratione illa de Antiphonte consolatore, cum neque unde deprompta neque quemnam ad Antiphontem referenda sit, discernendi ullam habeamus ansam.

Hermogenes. Hermogenea (A 2) autem non nituntur nisi eo, quod grammaticus et Didymi sententiam cognitam habuit et Caecilii — pro quo auctores ab ipso adhibiti laudantur — de Thucydide Rhamnusii discipulo coniecturam. Quas sententias inter se discrepare sensu suo ipsius permotus iudicabat, quippe cui Thucydidis sermo similitudinem referret non tam orationum Rhamnusii quam alterius Antiphontis libri de veritate.

Adrastus, Hephaestio, Athenaeus. Totus vero e Caecilio pependisse videtur Adrastus Peripateticus (A 4), qui, cum ageret *περὶ τῶν ἐν τοῖς Ἠθικοῖς*

[1]) Ut iniuria hanc adhibuerint Sauppius, Bureschius, Dielesius, Joëlius.

[2]) Quae de schola quadam instituta narrantur aut ad Xenophontem redeunt aut pertinent ad oratorem.

Νικομαχείοις Ἀριστοτέλους, causa nescimus qua inductus testimonio attulerat Rhetoricorum Aristoteleorum locum illum (B 2 p. 1379 b 15) *ὥσπερ ὁ Ἀντιφῶντος Πλήξιππος τῷ Μελεάγρῳ κτλ.*, arreptaque occasione deprompserat, quaecumque et de Plexippo habebat et de Antiphonte ipso. Nam ex Adrasti copiis Hephaestio, quem grammaticum notissimum dicere non vereberis, proprii ne minimo quidem addito librum consarcinavit, cui index erat *περὶ τοῦ παρὰ Ξενοφῶντος ἐν τοῖς Ἀπομνημονεύμασιν Ἀντιφῶντος*, Athenaeique, cui aegre furtum ferenti totius rei cognitionem debemus, alia sine dubio legeremus verba, si Adrastus Socratis aemulum, ut distingueret eum a tragico, citavisset[1]) neque unum eundemque eos putasset.

Nec non Caeciliana sunt, quae proferebat Diodorus (ap. Clem. Alex. Strom. I 16 p. 51, 14—17 St.), sane non Siculus rerum scriptorum celeberrimus, sed Valerius, Valeri Pollionis filius, libri, cui inscribebatur *Ἐξήγησις τῶν ζητουμένων παρὰ τοῖς ῥήτορσιν*, auctor (cf. P(auly)-W(issowa) s. v. Diodorus nr. 46). **Diodorus.**

Suidae vero lemmata ex Hesychii Milesii onomatologo sine dubio exscripta ad grammaticum redeunt, qui Didymea compilavit cum Caecilianis. Etenim secundum quidem lemma nil continet, quod non conspiret cum vita Plutarchea. Discrepat tantum, quod de Socratis aemulo memoriam omittit aliique viro singulari attribuit, de quo agit lemma primum. Tertio autem non probatur nisi grammaticum illum suo arbitrio libri, qui aliis testibus confirmantibus circumferebatur, interpretatorii auctorem seiunxisse a coniectore, sicut coniunxerat eos suo arbitrio Didymus. Secundo denique lemmati quae insunt, universa aut ad Didymum aut ad Plutarchum personatum referri possunt praeter cognomina illa *λογομάγειρος* et *ἐποποιός*, quae unde provenerint, certo statuere non licet. **Suidas.**

Constantinus postremo Palaeocappa violarii, quod dicebat Eudociae (cf. Westerm. Biogr. Gr. p. 236), verus auctor, **Eudocia.**

[1]) Sauppe p. 4.

partes consuisse satis habebat ad verbum exscriptas et e Suida et e Philostrato unumque de suo addidit διδάσκαλος λόγων ῥητορικῶν.

Haec summatim de testimoniis; unde apparet, ne unum quidem eorum, quae statuebat Sauppius, invictis argumentis demonstratum esse. Nunc ad philosophica Antiphontis scripta accedamus. Ordiamur autem, si placet, a libro περὶ ὁμονοίας scripto, quippe qui principem locum obtinere videatur.

I.

DE LIBRO *ΠΕΡΙ ΟΜΟΝΟΙΑΣ* SCRIPTO.

Hoc quoque de libello inter primos meritus est Sauppius, qui cum aliorum oratorum Atticorum tum Antiphontis vel Antiphontium quaecumque exstabant collegerit reliquias. Sed cum non assignaret libello, nisi quae ipsius nomine insignia traduntur frustula tam perpauca quam minuta (O. A. l. l. fgg. 84—97), ne de argumento quidem praemonuit nisi exigua (cf. Comment. p. 14). Neque satis plura efficiebat Blassius, qui eodem quo Sauppius modo denuo fragmenta edidit (Antiphont. oratt.[2] pp. 136 sqq. = fgg. 106—119 cf. A. B. I[2] pp. 111 sq.). Quas ob res haud magni fuisse liber videbatur, ut Zellerus ne mentionem quidem eius iniceret. At tamen hincce fluxisse coniecit Blassius longissima locupletissimaque fragmenta, quae sine libri nomine apud Stobaeum servantur, praeter duo (60 et 61 D[2]) omnia. Quibus praesertim adscitis et A. Croiset (Annuaire l. l. pp. 143 sqq.) et U. de Wilamowitz (A. u. A. l. l.) libelli sententiam accuratius adumbrabant. Atque Wilamowitzio adstipulatus est magna ex parte Th. Gomperz (Griech. Denker I 350), omni H. Diels, qui (Fg. d. Vors. 80 ed. I pp. 556—560, ed. II p. 587—606.)[1]) reliquias et veterum auctoritate et viri docti opinione libello attributas, quo modo adnotatione ingenii plena ille praeceperat, disposuit congestas. Argumentis vero firmis neque Croisetus neque Wilamowitzius usi sunt. Nec non alii, ut Bureschius, Joëlius, diversa prorsus de eisdem frustulis Antiphonteis iudicaverunt, neque ipse, permulta quamvis rectissima posuisse eos concedam, omnino illis assentiri possum.

[1]) In editione altera adnotatio critica cum explicationibus adiecta, paucae lectiones mutatae, numeri ita translati sunt, ut prioris editionis fragmentis 53. 53a. 64a. 65 respondeant alterius 53a. 53. 65. 67a.

Quo fit, ut meam ipsius de libelli argumento opinionem pluribus verbis insumptis et exponam et vindicem; qua opera pro dubiis, qualia proponebant illi, proferam forte certiora.

Titulum vero ne fundamentum iaciamus, ipsius ambigua interpretatio obstat. A fragmentis igitur initium sumendum. Quibus et enarratis et explicatis cum singulas sententias illustraturum tum singularum inter se necessitudines demonstraturum me esse spero, ut non solum libri consilium atque argumentum perspiciamus, sed etiam, quo auctor fuerit animo atque indole, cognoscamus. Ne vero libri tractandi lineamenta refecta alienis adscitis denuo obscurentur, primum quidem omissis quae interpretationi succurrere possint aliis rebus, quam maxime potero, continebo me in Antiphonteis ipsis.

Atque laudabo quidem numeros, quibus ornata fragmenta afferuntur in Dielesi libri editione II adponens semper numeros Blassianos; nec non sequar textum a Dielesio constitutum, adnotans ubicumque vel alia legenda esse vel Dielesiana confirmatione indigere putavi.

I. De libri argumentis ac compositione.

fg. 52 = 106. De vita agit fragmentum 52 D.[2] = 106 Bl.[2]. Vertebat hoc Wilamowitzius l. l.: „Das Leben ist kurz (133. 137 Bl.) und man kann es nicht noch einmal leben, wie nach einer verlorenen eine Revanchepartie spielen (106).“ *πεττόν* igitur accusativum esse putabat vocabuli *τὸ πεττόν*[1]); sed etiam ad vocabulum *ὁ πεττός* pertinere potest.[2]) Tunc vertendus locus hocce modo: „Das Leben kann man nicht zurücksetzen wie einen Brettstein“, atque haec dicebat auctor: „In vita degenda non ut in tesserarum lusu agere licet, ubi, dum modo lusus socius permittat, quam stulte posuisti tesseram, ut aliter ponas, reponere potes.“ Utra rectior sit interpretatio, discernere nolo; quamquam et vocis *ἀναθέσθαι*

[1]) Cf. Soph. fragm. 396 N[2].
[2]) Cf. Od. I 107. Plat. Rep. I 333 B.

usum magis favere arbitror meae et optime unam tesseram repositam auctorem respexisse puto, quoniam totus lusus redintegratus haud ita priorem infectum reddit, ut tesserae unius altera positio positionem, cuius loco fit, priorem. Sed quocumque modo locum interpretamur, hoc certe confirmare eum Harpocrationis explanatio demonstrat: Vita, quam egisti, acta est, neque, si non recte eam te egisse intellexisti (*μετανοήσαντα ἐπὶ τῷ προτέρῳ βίῳ*), ab integro illam agere potes. Illud „si false eam te egisse intellexisti“, cum in verbis Antiphonteis, quotquot exscripta praebet Harpocratio, non insit, ex eis, quae vel succedebant vel antecedebant, effici potuisse oportet. De falso igitur vitae usu in libello Antiphonteo disputatum erat.

Cuius disputationis num reliquiae exstent, scrutandum.

Et habemus fragmentum 53a/127. At ex eorum numero est, quae libri titulo omisso auctoris tantum nomine inscripta ab Joanne Stobaeo exhibentur. Quae secundum Joëlium universa forte spuria sunt neque ab Antiphonte nisi personato in dialogo quodam Antisthenico pronuntiata. Sed sermonis proprietatibus redarguitur prorsus sententia. Etenim Antisthenem tunc quoque, cum alium induxit loquentem, suo ipsius sermone usum esse capite Xenophonteo demonstratur; a Stobaeo vero locos exscriptos longe aliam praebere indolem atque naturam, cum de stilo Antiphonteo agemus, facile evincetur. Accedit, quod ne dialogum quidem sapiunt fragmenta. Verum hoc germana illa atque legitima esse testificari opinor, quod in unum cum ceteris fragmentis ordinem aptissime redigi possunt. Quo simul et Sauppii sententia optime refutabitur, qui ad politicum librum (*πολιτικός*) Stobaeana referebat, et Bureschii, qui de peculiari quodam cogitabat volumine, cui index fuerit *τέχνη ἀλυπίας*. fg. 53a = 127.

Etenim quid est, quod melius fg. 52/106 praeeat quam fragmentum ipsum quod tractavimus 53a/127? Statuit enim Antiphon exstare, qui hacce vita omnino non utantur, sed

ad vitam quandam alteram sese usque praeparantes tempus omittant; addit altera vita frui non licere.[1])

Sed interpretatione accuratiore indiget alterum fragmentum; qua simul prioris sententia evadet clarior atque magis perspicua. Ordiendum autem ab *ὡς βιωσόμενοι*. Ubi *ὡς* ne finale („um zu" cf. Thuc. 2,7 *οἱ Ἀθηναῖοι παρεσκευάζοντο ὡς πολεμήσοντες*)[2]) aut causale („weil, wie sie meinen") dicas, enuntiati finis impedit; quandoquidem qui se praeparant, ut alteram vitam accipiant, tempus transire minime aegre ferunt.[3]) Ergo apparet *ὡς βιωσόμενοι* vertendum esse „tamquam victuri essent" vel „veluti victuri", neque eos impugnari a philosopho, qui vitam praesentem, quippe quam nullius pretii habeant, ratione atque studio neglegentes alteram cupiant meliorem, immo vero, qui ratione quidem praesentem vitam haud contemnant, usu autem neglegant, quasi altera iis esset prompta.[4]) Adiumento sunt, quae Stobaeus docet. Exhibet enim fragmentum in capite, quod inscribitur *περὶ φειδωλίας*, quo sententias collegit spectantes eos, qui avaritia inducti suis non fruerentur; de avaritia igitur agere putavit Antiphontem. Si mecum autem interpretatus es, optime succedunt inferiora etiam illa *ἀναθέσθαι δὲ τὸν βίον οὐκ ἔστιν*, interposito fortasse alio illo fragmento
fg. 77 = 137. 77/137 *πολυτελέστατον γὰρ ἀνάλωμα ὁ χρόνος*,[5]) cui apte addideris 82/180: *τελεσθῆναι τὸ ἀναλωθῆναι*.[6])

Tenendum ergo perversitatem exagitari eorum, qui usu suis non utantur posteriore quodam tempore usuri; homines

[1]) Optime conspirat *ἕτερον βίον* et *τὸν παρόντα βίον* cum *ἐπὶ τῷ προτέρῳ βίῳ*.

[2]) Hoc voluit Bureschius l. l. p. 82.

[3]) *οὐ τὸν παρόντα* alterum glossema est, quo vel auctor ipse vel interpolator quidam *ἕτερόν τινα* interpretabatur, neque ex hominum tali modo cogitantium ipsorum animo dictum putandum est.

[4]) *τινὰ* addebat auctor ad *ἕτερον βίον*, quo significaret neque se neque homines illos ipsos scire, qualis haec vita esset, cum omnino non esset.

[5]) Ita forte scribebat Antiphon; habet Plutarchus: *οὕτω .... ἀναλίσκειν καὶ ἡδυπαθεῖν τὸ πολυτελέστατον ὡς Ἀ. εἶπεν ἀνάλωμα, τὸν χρόνον.*

[6]) Nisi hoc e fg. 77/137 effectum est.

illos, qui felices aliquando fieri studentes felices esse nequeunt; neque spectari omnino doctrinam aliquam, quae hacce vita neglecta alteri studere iusserit.

Iidem neque, quod putabat Bureschius (l. l.), alii spec- fg. 53 = 126.
tantur fragmento 53/126 a Stobaeo in capitis, quod est *περὶ ἀδικίας καὶ φιλαργυρίας καὶ πλεονεξίας*, parte illa de avaritia omnium malorum radice allato;[1]) quod pulcherrime quae modo composui excipere existimo. Etenim: Ut opes, inquit, quibus fruantur comparent, sunt, qui laborantes paratis fruendi tempus omittunt; sed gaudent hi laborantes comparando, dolent utendo fruentes.[2]) Quidnam melius dictum, quidve magis convenienter ingenio eius, quem rerum conditionem summa arte descripsisse satis habentem renuntiasse praeceptis proferendis cum vidimus iam tum certius videbimus? Quare hoc quoque fragmentum non solum Antiphonti dandum, sed etiam ad eundem *περὶ ὁμονοίας* librum referendum est.

Atque plura iam de ingenio philosophi clarissime aperit. Ut Horatius (c. II 2) enim nisi usurpatas divitias non esse putabat; Graecorum ritu laborem (*ἐργαζόμενοι*) contemnebat; non *ἀσχολίαν* sed *σχολὴν* cupiebat; *πόνον* abominatus est; parcere noluit, sed frui paratis; *ἡδονὴν* summi aestimabat; post mortem esse quidquam hominem negabat.

Eandem autem de divitiis sententiam fragmentum prae- fg. 54 = 128.
bet longissimum 54/128; neque dubito, quin cum servatum in eodem quo fg. 53a/127 capite Stobaeano[3]) tum in reliquias mox tractatas apprime quadrans re vera in libro *περὶ ὁμονοίας* exceperit fg. 53/126.

Sed iamiam fragmenti ipsius explicatione opinionem nostram probemus.

Fabellam sese narrare auctor ipse confitebatur notamque quandam eam esse *ἄρα* vocabulo in initio posito indicare

[1]) III 10, 30 H. = 10, 40 Gaisf.

[2]) Scribendum puto *οἱ δὲ* cf. fg. 54/128 *ὁ δὲ*.

[3]) Pars altera inde ab *ᾧ γὰρ ὁ θεὸς κτὲ.* etiam in capite *περὶ κακοδαιμονίας* (104, 19 M.) adfertur.

eum puto. Atque haecce est: Homo aliquis, cum alium multum argentum redegisse[1]) vidisset, petebat ab eo, ut sibi mutuum daret. Is vero (*ὁ δὲ* cf. p. 17 adn. 2) suspicioso malignoque animo[2]) negavit abdiditque argentum. Certior autem factus tertius illud surripuit. Qui abdiderat igitur paulo post reversus non iam invenit pecuniam. Itaque quam maxime dolens re adversa, praesertim quod non usus sit pecunia neque dederit petenti, quae et ipsa sibi servata esset et aliam fenore attulisset,[3]) obviamque[4]) factus illi deplorare coepit calamitatem, peccasse se atque paenitere, quod more non gesto malignum se praebuisset, quandoquidem omnem nunc perdidisset pecuniam. Ille autem, ne aegre hoc ferret, monuit; immo praesto sibi illam etiam nunc esse putaret neque amissam lapide modo eius loco deposito. Nam, inquit, omnino non usus es illa, cum tibi erat praesto; quare ereptum tibi esse quicquam credere noli.

Eam fabulam esse arbitror; auctoris autem potius explanationem quam verba hominis in fabula inducti, quae addita leguntur, dicam haecce: Quacumque enim re aliquis neque usus est neque utetur, haec, sive praesto est sive non est, neque maiori neque minori ei est detrimento.[5]) Etenim si cui[6]) deus non omni parte bona dare voluit, pe-

[1]) *ἀναιρούμενον:* Duemmlerum, qui venustam fabulam vernacula lingua expressit (Ak. p. 80), non recte vertisse puto: „welcher vieles Geld gefunden hatte.“

[2]) *ἦν οἷος ἀπιστεῖν τε καὶ μὴ ὠφελεῖν μηδένα.* Rectiorem meam versionem esse puto quam Duemmleri: „er traute ihm aber nicht“.

[3]) Pro *ὃ (ἂν αὐτῷ κτλ.)* tradito et a Dielesio Blassioque recepto *ᾧ* legere opus non est.

[4]) codd. *δὲ* retinendum.

[5]) Graecorum modo haec expressa idem significant atque: „maiore detrimento affici non potest, cum praesto non est, quam, cum est“ i. e. idem habet, sive habet, sive non habet; quae habet enim, rerum non sunt nisi umbrae. Nestleio (Euripides als Dichter der griechischen Aufklärung p. 341) igitur non accedo; neque mutaverim cum Buechelero *(βλέπεται)* vel Nauckio *(ἔχει)*.

[6]) Duorum locorum Stobaeanorum, cum ex diversis fontibus neque ex auctore ipso florilegii compositorem hausisse sua clare demonstrent

cuniae copia donatum sapiendi[1]) inopem[2]) factum altera dempta utraque re privavit.[3])

Ut vero in Homeri evangeliorumque, quae dicuntur, similitudinibus[4]) in nostra quoque fabella non omnia ad rem probandam pertinere, sed quae exornent tantum narrationem complura esse bene respiciendum. Argumentum tenendum; quod est: Divitiis utere, nam divitiae, quibus non uteris, divitiae non sunt; usu enim solo divitiae fiunt. Quid? nonne vides aptissima haec esse, quibus fg. 53/126 subsecutis perversitas illic castigata, quanta sit, exemplo demonstretur. Et ne hoc quidem loco praescripta dat auctor. Continet se relegasse ad legem illam de divitiarum usu. Quod autem mutationem adfert, fabulae tribuendum esse videtur. Nempe unus est ex plurimis utendi modis.

At tamen probasse apparet auctorem aliis dare pecuniam, sed ideo tantum, ut fenore aucta maior rediret. Beneficiis igitur abominatus non est, quibus ipsi bene fieret; noluit nocere aliis, si nocendo nociturus esset ipsi, haud igitur,

discrepantiae, uter genuina praebeat, non habemus, quo diiudicemus. Quare in dubio relinquendum, utrum cum 16, 30 H., quem locum praeferebant Blassius et Dielesius[1], scribendum *ὅταν — βούληται, φρονεῖν καλῶς, ἑκατέρων*, an cum 104, 19 M. a Sauppio et Dielesio[2] praelato *‹ὅτῳ› — βούλεται, καλῶς φρονεῖν, ἀμφοτέρων*.

[1]) False vertebat Nestleius: „während er ihn arm macht an edler Gesinnung.“

[2]) *πένης* vocem Graecam eodem modo usurpari atque pauper Latinam (cf. Hor. ep. II 2, 12. Senec. ep. 87 = „dürftig“), et *πτωχός* idem esse atque inops (= „nicht habend“ cf. Aristoph. Plut. 552) quamquam constat, hoc loco nostra ratione vertendum esse, quae sequuntur, ostendunt.

[3]) Quod non bene congruunt haec cum illo *μὴ παντελῶς*, molesti tantum auctori dabunt crimini.

[4]) Juelicheri liber notissimus (Die Gleichnisreden Jesu) in primis inspiciendus; praeterea, quae poeta de his rebus senserit, ut intellegas, relego te ad ea, quae Carolus Spitteler, Helveticum quem gaudemus esse, praefatus est in librum, cui index est Extramundana. Inter Graecos autem non omitto mentionem facere Parmenidis illius visionis, quam perperam intellexit Sextus Empiricus singula scilicet *ἀλληγορικῶς*, ut dicunt, explicans.

quod vituperaret animum illum, quem dicebat Wilamowitzius (l. l.) „Egoismus“, sed hoc animo ipso inductus.

Quantopere vero *χρῆσθαι ἐπίστασθαι* rem summam ac gravissimam posuerit, breviloquentia illa satis mira demonstratur, qua verborum *τοῦ εἰδέναι χρῆσθαι* loco *τοῦ καλῶς φρονεῖν* dicit. Qui igitur paratis uti nesciat, sapere eum negabat. Artem fruendi sapientiam ponebat, *τὸ κακῶς φρονεῖν* quod noceat hominibus. Eundem autem *τὸ σωφρονεῖν* summam existimasse virtutem postea (cf. fgg. 58. 59) videbimus.

Dedisse autem existimabat et divitias et sapientiam deum (*ὁ θεός*). Dei esse praebere bona vel omnia vel partem vel nulla. Ludibrio igitur mortales deo esse sentiebat.[1])

fg. 103 = 182. Talia efficere possumus e fragmento. Adiciendum fortasse aliud illud 103/182: *φιλοχρηματεῖν*. Sed incertum hoc neque magni momenti.

Complexio. Maioris habeo, quod exemplo est fabula modo enarrata vitam reponi non posse, neque stulte facta infecta licere fieri; quippe quod reliquiarum nostram hucusque et interpretationem et digestionem probare mihi videatur, qua omnes inter sese cohaerere diximus ita, ut unius de stulto vitae usu capitis olim fuerint membra. Atque successisse sibi puto, ut alterum alterum exciperet, fragmenta 53 a, 77, (82), 52, 53, (103), paucis forte interiectis 54.[2]) Cui capiti quae ultra adnumeranda esse videantur, cum non exstent, pergamus ad alia.

fg. 51 = 132. Atque ordiamur denuo a fragmento aparasemo 51/132, ipso quoque apud Stobaeum servato.[3]) Vitam accusat: *εὐκα-*

[1]) Eandem habemus sententiam, quam in Homeri verbis vituperabat Plato (de rep. II cap. 18.).

[2]) Wilamowitzius ab eodem fg. 53 a initio capto omissis quae superiore loco inseruit 77 et 52 quodque omnino non commemorat 82 sequentia fecit 53 et 54. Croisetius composuit 58, 53, 54, iterum 58 (sic!). Dielesius[2] 53 a et 53 transposuit.

[3]) In capite quod est: *περὶ τοῦ βίου ὅτι βραχὺς καὶ εὐτελὴς καὶ φροντίδων ἀνάμεστος.*

τηγόρητος πᾶς ὁ βίος. Quibus verbis humana sane specie induitur vita, ut *ἀρετή* et *κακία* a Prodico in fabula illa a Socrate Xenophonteo narrata, aliae res ab Epicharmo, Ennio, Aristophane, aliis.[1]) Quod vero vox *εὐκατηγόρητος* e iudiciorum sermone petita est, hoc non probat auctorem fuisse in iudiciis versatum vel orationum iudicialium conscriptorem. Sequuntur autem in codicibus haecce: *θαυμαστῶς ὦ μακάριε.* Quae emendanda esse arbitrabantur praeter Bureschium, quicumque ad locum delati sunt. Atque Sauppius quidem quam facillimo medicamine usus prius (O. A.) scripsit: *θαυμαστὸν ὦ μακάριε (οὐδὲν ἔχων καὶ περιττὸν)*, deinde *θαυμαστῶς ⟨ὡς⟩ ὦ μακάριε*, Meinekius autem *θαυμαστῶς* delebat; plura mutabant ceteri; ut Blassius, quem secutus est Duemmlerus (Ak. 171), exhibet *ὡ⟨ς⟩ [μακάριε] καί*, Dielesius et in priore editione et in altera *ὁ βίος ⟨καὶ ὁ⟩ θαυμαστῶς ὡς μακάριος.*[2]) Haerebant igitur adprime in vocativo illo *ὦ μακάριε* non patientes scilicet invocari aliquem. Sed interpolatoris malignitati vel scribarii stultitiae atque inscitiae potius talia dederis quam auctori ipsi? Equidem nescio, quomodo talis corruptela irrepserit; contra nil obstare puto, ne Antiphontem hanc allocutionem adhibuisse dicamus. Neque dialogum hanc ob rem librum fuisse ponendum est,[3]) sive ab Antiphonte compositum ipso, sive ab alio, fortasse Antisthene. Nam poetas quoque elegiacos, cum soli loquerentur, vel amicum vel discipulum alloqui solitos esse constat.[4]) Cum

[1]) Cf. Dieterich Pulcinella p. 78, de Wilamowitz Herm. XV 515. Similis vocis *πόλεμος* usus Thucydideus notus est nec non quae similia occurrunt apud poetas medii, quod dicitur, aevi germanicos.

[2]) Prior *ὁ* inducendus esset („jedes Leben“); at vix vita beatissima *εὐκατηγόρητος* dici potest.

[3]) Apud Platonem *ὦ μακάριε* obviam fit e. g. Protag. 309 C., Euthyd. 303 C.

[4]) Cf. v. g. Theognidem, Parmenidem. Sauppius igitur recte monebat p. 17: Ceterum ex eis quae hic addita sunt, *ὦ μακάριε*, iure concludimus Antiphontis libellum ex more veterum ad certum quendam hominem scriptum fuisse, ad quem omnem sermonem suum dirigeret. De Bureschii sententia, qui (p. 78) lugentem appellari putavit, vd. infra.

elegiacis autem non uno tantum numero conspirare libri *περὶ ὁμονοίας* auctorem infra explicabimus. Adverbium autem, quod eodem modo taedio erat criticis, *θαυμαστῶς* non minus apte stat, *ὡς* illo Sauppii sive adiecto (cf. Eurip. I. A. 943) sive non adiecto. Nimirum *παράδοξα* se pronuntiaturum esse significans auctor: „Cuivis, inquit, accusationi obnoxia est vita, mirum in modum (mirum quam bene), o beate.“ Quid, nonne beatus quidam aptissimus est, cui admirabili ratione vituperari ac castigari posse eam demonstretur? Atque reliqua quoque fragmenti interpretationi nostrae adspirant. Crimina enim quasi sunt, quae vitae dantur, negatis scilicet quae non habeat bona, affirmatis quibus turgeat malis.[1]) Non inesse enim huic vitae quidquam abundans[2]) vel magnum vel sublime, sed omnia minuscula et levia[3]) et parvi temporis[4]) et magnis doloribus permixta.

Pluribus quam alibi auctor utitur verbis et his fere synonymis; libenter hoc Cynici verbosi fictionem indicare statuas; at tamen parum tritae voces sunt, quam quas Cynicas appelles, colorisque aliquid proprii omnes proferentes.

Conclusionem igitur denuo faciamus. Sublimitatem, abundantiam, diuturnitatem, dolorum absentiam cupiebat auctor; quae cum non suppeditet, miserrimam increpabat vitam. Totam vero vitam miseram eum dixisse nos quidem posuimus.

fg. 49 = 131. Et ecce praesto est fragmentum aliud 49/131 apud Stobaeum in capite *Ὅτι οὐκ ἀγαθὸν τὸ γαμεῖν* servatum, quo vitae pars vituperatur ita, ut e totius accusatione desumpta

[1]) Primum *καὶ* delendum esse existimo, quia neque quae sequuntur verba coordinata sunt prioribus, neque *καὶ οὐδὲν—οὐδὲ* loco *οὔτε τι—οὔτε* stare potest. Neque gravis est emendatio in tanta particularum *καὶ* abundantia.

[2]) Cf. Hes. Th. 399, Pind P. II 91, Xen. Cyr. VII 2, 21 (*περιττὰ τῶν ἀρκούντων*).

[3]) Cf. Xen. Mem. III 7, 5. Infirma fortasse (Pind. Tragg. Pross.) neque vero paupera (Eur. Suppl. 433. 435).

[4]) Cf. quam magni aestimet Antiphon *τὸν χρόνον* (fg. 77/137).

legere nos manifestum fiat. Agunt enim servata de aetate, qua matrimonio fruatur homo. Incipiunt autem ab hisce: *φέρε δὴ προελθέτω*[1]) *ὁ βίος εἰς τὸ πρόσθεν.* De priore igitur vita antea actum erat, eademque disputatio praebuerat subiectum, quod desideramus nunc *ὁ ἄνθρωπος.* Et eadem vox usurpatur *βίος* (neque *ζωή* vel *βιοτή*), quae in fg. 51/132, et eadem induitur species humana. Neque allocutionem quandam contineri *φέρε δὴ* hoc neglegendum, quippe quae congruat optime cum *ὦ μακάριε* illo.

Diem autem vel noctem, qua nuptiarum feminaeque cupido prima orta sit, novae fortunae[2]), novae calamitatis initium facere[3]) dicit auctor. Affirmaverat igitur iam ante nuptias calamitatibus obrui hominem.

Ac probat sententiam nova illa *μέγας γὰρ ἀγὼν γάμος ἀνθρώπῳ*: i. e. magnus labor homini matrimonium. Singularis est vocis *ἀγών* hic usus neque aliud exemplum invenisse me confiteor. Sed optime explicandus breviloquentia quadam, qua pro *μέγας πόνος ὥσπερ ἀγών* substituebatur *μέγας ἀγών*;[4]) quo simul *ἀγῶνες* auctori malum laborem fuisse[5]) demonstratur. At suane profert scriptor, neque alium laudat auctorem? Quandoquidem versus quidem anapaesticos agnoverunt Gaisfordius (in ed. Stobaei) et Nauckius (TGF adesp. 456)[6]) a *καινοῦ* continuatos usque ad *πότμον*, eundemque numerum praebent *ὁ μέγας γὰρ* usque ad *ἀνθρώπῳ.* Accuratius de hisce rebus postea nobis erit agendum; interea satis habeo relegasse ad ea quae optime exposuit de Wilamowitz in Ind. schol. Gotting. s. ae. 1893, pg. 19. Sed altera sententia ad priorem firmandam allata

[1]) Ita legendum cum Sauppio pro *προσελθέτω* (contra Wilamowitzius Herm. l. l.)

[2]) De vocis hac vi vd. quae exposuit M. Heinze Der Eudaimonismus in der griech. Philos. (Leipz. Sitz.-B. ph. Kl. VIII [1883]), cap. I.

[3]) *ἄρχει* optime stat neque mutandum cum Salmasio in *ἀρχή.* Quod, cum de sermone Antiphontei agemus, argumentis probabimus.

[4]) Melius ita opinor explicari, quam *περὶ ψυχῆς ἀγών.*

[5]) Cf. Xenophanis verba notissima (Vors.^{2} = fg. 2 pg. 45.).

[6]) Eadem est opinio Heerwerdeni; cf. Diels^2 ad loc.

re vera thema probandum proposuerat[1]) Nec non sequuntur (cf. fg. 51) brevissime contractum uberiora argumenta.

Nam et bipertitione et anaphora adhibita exponuntur haecce: Etenim si mulier non apta[2]) sit, quem in modum (i. e. quantopere, cf. *θαυμαστῶς* fg. 51) calamitate uti hominem oportet? Aegrum (enim) est divortium, *φίλους* inimicos reddere,[3]) aegrum possidere tale quicquam,[4]) voluptatibus potiri putantem ducere molestias.[5]) Omisi adhuc verba *ἴσα φρονοῦντας ἴσα πνέοντας ἀξιώσαντα καὶ ἀξιωθέντα* neque *φίλους* Latine dedi; quippe quae interpretationis sint quam maxime ambiguae. Nec non plura in eis periclitati sunt viri docti[6]); quae tamen non clariorem reddidisse locum arbitror. Dixitne forte auctor: aegrum inimicos sibi facere adfines mulieris, sive discidium postulet maritus sive postuletur ab eo, quippe qui conspirent cum illa? An potius: aegrum est inimicos sibi reddere adfines (et mulieris et ipsius), si quidem quis postulat, ut concordes vivant homines (vel coniuges)? An de amicis loquitur, qui amici concordiam quidem ab aliis

---

[1]) Bene observandum, quam bene omnia procedant: de matrimonii enim cupidine primum agebatur, de matrimonio ipso nunc res est.

[2]) Ita vertendum et scribendum: *ἐπιτηδεία γενομένη*. Mulier illud iam inest in vocum *ἐπιτηδεία γενομένη* fine feminino (cf. Eurip. Med. 286 *λυπεῖ δὲ λέκτρων ἀνδρὸς ἐστερημένη*, Lucian. de calumn. etc. III 132 Reitz. . . *ἠκολούθει πάνυ πενθικῶς τις ἐσκευασμένη*); neque Blassii Dielesique (in ed. II tradita retinuit), neque Sauppii, neque Meinecki mutatione opus est. Neque in eo haerendum, quod postea legimus *τὰ πάντων ἐπιτηδειότατα*.

[3]) *Ζεύγματι* ut dicunt Graeci haec expressa: *χαλεπαὶ μὲν ἐκπομπαί, (χαλεπὸν) . . ποιῆσαι*. Sed ‹*καὶ*› cum Jacobsio et Dielesio[1] inserere opus non est.

[4]) Non est, cur pro optimo illo *κεκτῆσθαι* scribamus cum Dielesio *κ‹αὶ› ἐκτῆσθαι*.

[5]) *ἄγεσθαι* de matrimonio terminus est, ut dicunt, technicus. Asyndetum autem, quod dicitur, tollendum non esse cum Dielesio[1], qui pro *δοκοῦντα* legebat *δοκοῦν τε*, superius enuntiatum a *χαλεπὸς* voce incipiens declarat.

[6]) *ἴσα φρονεῖν ἴσα βαίνειν* S.[1], *ἴσα φρονοῦντας ἴσα βαίνοντας* S.[2], *ἐξώσαντα καὶ ἐξωσθέντα* Jacobs; ‹*ζῆν*› *ἀξιώσαντα κτέ.* Diels[1].

postulantis discidium vel factum vel faciendum vituperant? An *φίλον* illud ad coniuges ipsos pertinet?[1]) Nescire me confiteor. Sed si efficere aliquid e verbis interpretationis incertissimae licet, apparere puto noluisse auctorem discidia. Neque neglegendum *ἡδονὰς καὶ λύπας* non solum fragmenti 51 in modum tamquam personas induci, sed etiam ita adhiberi, ut *ἡδονὴν* summi aestimari manifestum fiat; quod idem cum in fg. 51 deprehendimus, tum in 53a ad *ὁμόνοιαν* antea a nos relato.

Malum igitur auctor matrimonium appellavit, si quidem muliere non apta pessimae sint conditiones. Nunc repetens initii illud *φέρε δή*[2]) asyndetisque denuo usus[3]) optimas esse ponit.[4]) Atque concedit iucundissimam esse et dulcissimam mulierem gratam homini inprimis iuveni;[5]) sed eodem, quo iucundum sit loco, prope etiam esse ingratum (molestum). Quam sententiam denuo duplici ratione probat. Primum enim non solas (quasi *αὐτάρκεις*) incedere voluptates, sed succedere illis et dolores (molestias) et labores.[6]) — Vides mixtas esse voluptates cum doloribus, ut confirmaverat fg. 51. Sentis depingendi vim, qua vivas ante oculos tamquam numina habes atque genios voluptates, dolores, labores.[7]) — Neque enim meras esse voluptates, quia et Olympiorum

---

[1]) Hoc coniecit Dielesius[2] attulitque Aesch. Ag. 1236; sed num recte interpretatus sit *ἀξιώσαντα καὶ ἀξιωθέντα*: „Braut und Bräutigam hatten sich gegenseitig würdig befunden", vehementissime dubito.

[2]) Quod non mutare licet cum Sauppio in *φέρε δέ*.

[3]) Perperam pro *λεγέσθω* Blassius scripsit *γενέσθω*, cf. Diels.[2] ad loc.

[4]) *παλίγκοτος* hocce loco nil nisi adversus significat, neque *πάλιν* particulae vis quaequam tribuenda.

[5]) *νέα* cod. A. *νέας* B. *νέῳ* Trincl., *νεάζοντι* Mein. Fortasse *νέας* tenendum.

[6]) Adnominationes luculentissimae Latine reddi nequeunt.

[7]) *ἔνθα τὸ ἡδὺ* usque ad *λῦπαι καὶ πόνοι* exstant etiam 6,7. Minutiarum autem discrepantiae *ἔνεστι-ἔστι, ἐπὶ σφῶν ἐμπορεύονται-ἐκ σφῶν ἐκπορεύονται*, ne nimis consarcinatoris textui credas, denuo monent.

victoriae et Pythiorum[1]) et similia certamina[2]) et artes scientiaeque[3]) — plura ut in fg. 51 vocabula coordinata bene nota — et ita omnes reliquas voluptates[4]) nisi magnos post dolores non adsint. Nam quas velut escas deus proposuerit hominibus palmas[5]) et praemia[6]) — voluptates his significantur — magnorum haec laborum sudorumque subeundorum afferre necessitatem.

Qua disputatione demonstratur, ne boni quidem matrimonii voluptatem vacare dolore, sed simul etiam re vera esse matrimonium laborem tamquam certamen. Sed plura docet. Dolores enim auctor appellat labores (*πόνοι*): certamina (*ἀγῶνες*) vituperat eadem de causa nec non artes scientiasque. Quid? nonne in prioris vitae accusatione, quam antecedere demonstravimus, actum esse elucet de aerumnis educationis, qua *σοφίαι* nobis pararentur? Sed idem voluptatis nomine universa haec appellat; quo simul quam magni momenti illam fecerit, denuo, ne dubium restet, aperitur. Escas autem veluti certaminum palmas voluptates omnes dicit. Non addit cuius rei; sed apparet laborum illorum, qui doloribus turgeant, suscipiendorum.[7]) At finis tunc cuiusdam atque consilii gratia labores hosce existere opus est. Finis scilicet causa labores suscipiendi; ad quem ut perveniatur,

---

[1]) Non quae saepius occurrunt pluralia masculina vocabula esse puto, sed *ἀγῶνες* voce collata feminina; ad quae cf. Bacch. 4, 17 Bl., Heliod. 4, 16 Bekk.

[2]) Aut glossema hoc parecheseis turbans, aut liberius pro certaminum victoria dictum.

[3]) cf. Il. XV 412, H. h. Merc. 483. 511, Pind. O. IX 107, Plat. Lach. 123 c, Phaed. 96 a, Xen. Anab. I 2, 8, Athen. XIV 622 c. XIV 614.

[4]) Ita si interpretamur, bene stat tota disputatio, neque est, cur vituperemus cum Blassio (De A. Jamblichi auctore p. 13) auctorem, qui loco nostro teste „quovis argumento de qualibet re“ egerit.

[5]) *τιμαί* = *γέρας* „Anerkennung“ cf. Soph. Ant. 695.

[6]) Scrib. c. Saupp. *τιμαὶ γὰρ καὶ ἆθλα*; retinendumque *δελέατα ἅ*.

[7]) Dulcedinem solam *δέλεαρ* significare non potest, cf. Eurip. Andromach. v. 264, Troad. 700, Iph. Taur. 1181, fg. 981.

voluptatibus inescantur homines. Ita finis causa matrimonia quoque contrahenda, quod ut faciant, homines voluptatibus, quas praebet, alliciuntur. Proponit autem escas *ὁ θεός*; is igitur labores suscipi vult, is finem quendam spectat. Deus igitur hominibus voluptates dat, ut dedit divitias in fg. 54. Sed ut illic illudere prope dicas eum mortalibus. Certe non est hominum pater benignus, qui omnia providens eis consulit. Sed regit mundum regendique habet consilium id, ut agant homines, dum vivant. Ad agendum ergo impellat deus mortales, nimirum ne mundus ipse intereat: Opus est deo mortalibus. At existit deus, omnium rerum tam bonarum quam malarum dator, cui repugnare non licet, cuius vero dona ut accipiat homo non oportet.

Ne boni quidem matrimonii meram esse voluptatem in universum ita auctor probaverat ex eo, quod omnes, quaecumque sint voluptates, in doloribus insint ut esca dulcis in hamo mortifero. Nunc matrimonii huius ipsius singula mala enumerare coepit. Difficili huic quoque loco emendationibus succurrebant viri docti,[1]) quibus tamen curis sanatum eum esse haud video. Neque enim emendatione sed interpretatione indigent quae tradita accepimus. „Ego quidem, si mihi contigerit alterum quoddam corpus tale, quale ipse ego mihi (scl. sum vel contigi), victurus non sim, iam nunc (*οὕτως*) magnam sustinens operam et valetudinis huius (i. e. mei) corporis causa et victus cotidiani et famae, temperantiae, apud cives existimationis.[2]) Quid igitur (scl. patiar, ut iam non vivere possim diutius, vel: Quid boni igitur), si mihi contigerit alterum corpus, quod tantopere (quantopere meum mihi esse dixi) curae mihi sit? Nonne[3]) apparet uxorem marito,

---

[1]) Post *ἐγὼ γὰρ* verba *εἴ μοι γένοιτο* usque ad *ἐμαυτῷ* delebant S. Mein.; eidem ante *οὕτως* addebant *μή*. Inserebat post prioris loci *ἕτερον τοιοῦτον* ‹*ἐπιμελὲς ὄν*› Dielesius[1. 2]. Pro *οἷον ἐγὼ οἷον ἔχω* scrib. Weidnerus apud Blass.; Blassius ipse coniciebat *οἷον ἔχω τὸ ἐμαυτοῦ*. Wilamowitzius saepsit *[ἐμαυτῷ]*.

[2]) cf. infra et fg. 54.

[3]) *οὐκοῦν* cum codd. legendum esse videtur. *οὐκ οὖν* (Diels.) minus convenire puto sententiae.

si quidem grata est, tale ipsum esse corpus itaque nihilo minores reddere neque voluptates neque dolores,[1]) quam ipse sibi et valetudinis causa duorum corporum et victus conquisitionis et temperantiae bonaeque existimationis?"

Optime haec clarissimeque dicta esse puto.[2]) Neque mutavi quicquam, nisi quod, quae certa sunt glossemata, eieci *εἰς τὴν συλλογὴν* petitum scl. ex posterioribus (del. iam Mein. Saup.) et *καὶ τοῦ εὖ ἀκούειν* (del. voluit iam Mein., *ἐς τὸ εὖ ἀκούειν* coni. Diels[2]), ut taceam de scribendi mendis iam dudum correctis.[3]) Et optime priora excipiunt, hoc tantum cum teneatur, non thema probandum dare extrema, sed probandi causa ipsa afferri, notumque disputationis exhibent modum.[4]) Quare neque mutationes, quas protulerunt, effusius me refutare opus esse arbitror neque ad interpretandum locum quicquam addere.

Artissime autem coniuncta sunt, quae succedunt ut a *φέρε δὴ* rursus incipientia, ita progredientia ad novam vitae partem. Matrimonii dolores declarati sunt ei, qui ob uxorem existerent. Nunc ad liberos transitu facto hi quoque malum appellantur. Servata quae sunt huius disputationis tam paucissima rursus quam luculentissima eadem liberis quoque crimini data esse, quae antea uxori clare demonstrant. Curas enim eos parare ut illam atque, cum plures sint, et tantas et tot, ut abeat e mente iuvenalis exultatio faciesque ipsa deformetur. Neque dubium, quin eodem quo prior modo haec quoque sententia probata fuerit: Etenim quem fugere potest primum

[1]) Non haerebis in his Graecissime expressis, si contuleris quae diximus ad similem fg. 54 locum.

[2]) Eodem fere atque nos modo Antiphontem intellexisse nunc video Blassium, cuius adnotationem liceat addere: „Sed hanc esse sententiam puto: Ego enim si mihi alterum corpus contigerit, vivere non possim, quippe qui nunc quoque tam multa mihi negotia praebeam e. q. s. Quid igitur, si, quemadmodum dixi, alterum quoque corpus mihi contigerit e. q. s."

[3]) Utrobique *ὑγείας*; *τί ἄν*, quod quidem ne teneatur, nil obstat; *εἰ μη, γε μή*; *συλλογῆς καὶ ὑπὲρ* codd. fortasse non delendum cum S. D[1, 2].

[4]) *οὐ δυναίμην ζῆν — πράγματα γὰρ παρέχοιμι ἄν.*

malorum liberorum molestias descriptas fuisse, tum multo etiam maiores bonorum? Quis non de sustentationis educationisque laboribus, de filiis male moratis, de liberorum optimorum maximeque amatorum morte praematura actum esse opinetur? Quis non senectutis aerumnas et senes ipsos et cognatos cruciantes expositas esse autumet?

Sed ne amplius coniciendo indulgeamus. Argumentis sane probat hoc fragmentum ea, quae posuerat fg. 51. Eandem sententiam, easdem voces, eundem animum deprehendimus, neque deest ubertas illa verborum, qua miseriarum magnitudo depingatur vel sono. Cohaerent igitur inter se duo haec fragmenta. Neque dubito, quin 51/132 antecesserit 49/131; quoniam huius auctoris esse intelleximus, brevi propositioni argumentationem effusiorem submittere, neque aerumnosa quadam complexione facta quae dixerat repetere.[1])

Qua autem ex alia disputatione, nisi ex hac singulas fg. 66 = 136.
sine dubio tractante aetates, potius desumptum esse dicas fragmentum, de quo desperaverunt 66/136: *γηροτροφία γὰρ προσέοικεν παιδοτροφίᾳ*? Nonne ipsi opinati sumus de liberorum et de senum malis disputasse fragmenti 49 auctorem? Nonne clamat exposuisse eum: *καινὰς πάσχουσι λύπας οἱ γέροντες γενόμενοι, καινὰς παρέχουσι τοῖς συγγενέσι· γηροτροφία γὰρ προσέοικε παιδοτροφίᾳ?*[2])

Sed etiam de virilitate eum egisse opus est. Nec non fg. 67a = 112.
habemus Harpocrationis glossam (fg. 67a/112): *ἀνδρεία· ἡ τῶν ἀνδρῶν ἡλικία·*[3]) *Ἀντιφῶν ἐν τῷ περὶ ὁμονοίας.* Quae summi est momenti. Nam quod aliis iam argumentis veri-

[1]) Fragm. 54/128 hisce opponere non licet, quoniam quod fabula doceat non potuit non fabulam succedere; et re vera thema probandum praeit secundum nostram quidem reliquiarum et interpretationem et digestionem neque repetitur in fine.

[2]) Non haerendum esse in eo, quod Clemens Alex. dicto adiecerat *Ἀ. ὁ ῥήτωρ λέγει*, ex exordio nostro apparet.

[3]) Huius vocis *ἀνδρεία* notionis, cum non minus recta sit, quam usitata (*ἀνδρεία* scl. vel *ἡλικία* vel *ἀρετή*), exemplum certum aliud non habeo.

simile fiebat, hacce affirmatur in libro *περὶ ὁμονοίας* infuisse olim vitae vituperationem.

Sed quam bene illic steterit, priusquam demonstremus, num aliae quoque eius reliquiae praesto adhuc sint, quaeramus.

fg. 69 = 114. Fortasse eo pertinet fg. 69/114: *βαλβῖσιν· ἀντὶ τοῦ ταῖς ἀρχαῖς· Ἀντιφῶν περὶ ὁμονοίας*, cum initio iam turgere vitam miseriis totius castigatorem demonstrasse constet.

fg. 71 = 119. Fortasse ex eiusdem disputationis parte ea, qua de liberis vel bene vel male moratis agebatur, dempta est glossa *φηλώματα· Ἀντιφῶν ἐν τῷ περὶ ὁμονοίας· ἐξαπάτας* (71/119).

fg. 50 = 133. Certissime vero ad eam relegandum alterum fragmentum, quod in Stobaeani florilegii capite eo, quod est *περὶ τοῦ βίου ὅτι βραχὺς κτέ.*, nudo rursus Antiphontis nomine allatum a Dielesio 50 sede ponebatur, a Blassio 133. Sed obscurius expressam sententiam commentario indigere et aliorum correctiones et Bureschii amplior interpretatio indicat. Vertit enim hic (pg. 81): „Vita adsimulanda est captivitati (vel custodiae) temporariae (i. e. brevi) vitaeque spatium uni diei — ut ita dicam — quem postquam lucem suspeximus (i. e. reversi in aethera, scilicet unde orti sumus) tradimus posteris aliis.“ Ac recte quidem exemplis confirmabat (in excursu VII p. 131) et *φρουρά* vocem non solum *τὸν φρουροῦντα* (statio, custodia), sed etiam *τὸ(ν) φρουρούμενον* (carcer, captivitas, custodia) denotare, et *ἐφήμερος* non solum valere proprie id, quod est „diurnus“, sed etiam praegnanter „temporarius, brevis, zeitlich“ velut Thuc. II 53, 1. Sed vix spondeas *ἀναβλέπειν πρὸς τὸ φῶς* valere id, quod est *πάλιν βλέπειν πρὸς τὸ φῶς* vel „lucem rursus adspicere,“ i. e. „reverti in aethera unde orti sumus.“ Neque huius verbi notionis gemina sunt *ἀναποδίζεσθαι τὸ πάλιν ἐξετάζειν* (*περὶ ἀληθείας α´* 18,84) vel *ἀναθέσθαι πεττόν* (52/106). Et quid sibi vult *ἡμέραν παρεγγυᾶσθαι*? Haud aliter intelligi potest nisi: „Unum illum quem vivere nobis conceditur diem velut stationem (vel tesseram, signum, Losung, Parole) posteris aliis tradimus.“ At, num rationem his inesse dicat sobrius

animus? Et: „Vita nostra nil nisi unius diei carcer est et vitae huius spatium uni diei adsimulandum?“ Nonne bis eadem proferri dicas? Bureschi, mihi persuasi, si accipis interpretationem, cum Sauppio obelo notandum membrum *τό τε μῆκος—μιᾷ*. Tunc optime decurrit enuntiatum: „Vita nostra adsimulanda unius diei custodiae, quam posteris aliis tradimus“.

Neque tamen cum Bureschio, cui adstipulatus est Joëlius,[1]) faciendum. Pervetustam enim Orphicorum Pythagoreorumque de animarum migratione cognoscere vult doctrinam, qua anima in corpore veluti carcere contenta brevi hac captivitate morte liberari dicebatur. Tali vero doctrinae qui favet, non dolet is morte, immo gaudet atque exsultat. At Antiphon omnino contraria pronuntiaverat de vitae mortisque pretio; neque umquam dividebat hominis naturam in corpus et in animam, sed totum unumque hominem putasse eum apparebat. Sed alterius fortasse Antiphontis hoc fragmentum est, alterius reliqua? At longe abest, ut hoc contenderit Bureschius, immo eidem omnia eiusdem auctoris arti consolatoriae attribuit. Et optime inter sese congruere et hoc et cetera intellegemus. Omisso enim interim membro a Sauppio deleto[2]) ita interpretari voluerim enuntiatum: Vita adsimulanda stationi unum diem habendae, quam, simulac (solis) lucem aspeximus, succedentibus excubitoribus tradimus. Cui interpretationi, qua stationem nocturnam diximus,[3]) non obstat vox *ἐφημέρῳ*; quoniam ut nostra vox „Tag“ ita Graeca *ἡμέρα* non diem solum noctis contrarium denotat, sed etiam complectitur diem noctemque.[4]) Sed etiam membro illo retento optimum evadere sensum opinor eumque cum Antiphontis, qualem adhuc

[1]) II 565 . . das Leben als einen Kerker voll *λῦπαι* und *πόνοι*.

[2]) Ut ad *φρουρᾷ* referri posset; cf. praeterea quae de interpolatt. diximus ad fg. 49/131.

[3]) cf. Diels.[2] ad loc: *ἀναβλέψαντες* das Morgenrot zeigt die Ablösung an.

[4]) cf. *ἡμέραι ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι* Pind. O. I 32, *ἐν ὑστέραισιν ἡμέραις* Aesch. Ag. 1651.

cognoverimus, animo conspirantem. Et re vera haecce dixisse putaverim auctorem: Vita nostra adsimulanda est stationi diurnae, vitae spatium vero stationi unius diei, quam successoribus tradimus, simulac novi diei lux apparuit. Quamvis neque sana prorsus nos legere,[1]) neque talis vocis *ἐφήμερος* notionis apud veteriores quidem scriptores Graecos exemplum inveniri libenter equidem concedam.

Contendit sane auctor vitam humanam laboriosissimam esse tamquam stationem, in qua semper vigilare, sub divo cubare, pedibus stare, ne hostis irrumpat timere oporteat; neque usui esse homini quae sustinuerit, sed sine pretio, et tunc ipsum, cum post noctis tenebras dies oriatur, tradendam hanc vitam scl. brevissimam posteris haud aliter ac succedentibus stationem.

fg. 68 = 113. Quare huc pertinere puto etiam glossam illam, quam e libro *περὶ ὁμονοίας* fluxisse Harpocratio testificatur *αὐλιζόμενοι ἀντὶ τοῦ κοιμώμενοι* (68/113)[2]); ut descripserit auctor excubationis dolores.[3])

Plura efficere nolim; neque Heracliteum dixerim Antiphontem vitam non nisi demandari hominibus arbitratum. Eundem autem inesse animum fg. 50, quem reliquis iam tractatis, eandem rerum comparandarum cum comparatis in unum complexionem, eadem verba, ut *τὸ ζῆν, ἔοικε*, quivis ipse intelligit. Hoc potissimum habeo, hoc quoque fragmentum uberius explicare ea, quae 51/132 posuerat: habere scilicet vitam nil magni vel sublime, sed omnia esse *ὀλιγοχρόνια καὶ σμικρὰ καὶ ἀσθενῆ*. Quo elucere puto hoc (50) successisse illi (51).

fg. 48 = 108. Sed paulisper sinas te ad aliud fragmentum reici. Spinosissimum dico 48/108. Quod servatum in pluribus lexicis (Seg. V, Phot., Suid., E. M., Eustath.) in Pausaniae vel Dio-

[1]) Pulcherrima est Dielesi² coniectura: *μοῖραι* (pro *ἡμέραι*) = uni excubiarum vigiliae; cf. Eur. Rhes. 5 cum schol.

[2]) = excubare cf. Her. IX 37, Eur. El. 304, Thuc. pass., Aesch. Ag. 2. Xen. Cyr. I 2, 4. 9.

[3]) Ne dormientes quoque doloribus nos cruciari auctorem exposuisse e fragmento efficias, verbi *αὐλίζεσθαι* notionem obstare puto.

nysii Atticarum vocum lexico hocce modo infuisse constat: *θεαιδέστατον· θεοῦ ἰδέαν ἔχον. εἶπε δὲ Ἀντιφῶν ἐν τῷ περὶ ὁμονοίας οὕτως· ἄνθρωπος, ὅς φησι πάντων θηρίων θεαιδέστατος γενέσθαι.* Recte in eo quod est *θεαιδέστατος* offendit Sauppius, cum, quamquam dici ita posse exempla a R. Porsono ad Eur. Phoen. v. 1730 collecta ostenderent, Antiphontem tamen *θεαιδέστατον* scripsisse lemma *θεαιδέστατον* et explicatio *ἔχον* aperirent; nam ad hunc ipsum Antiphontis locum observationem vel Pausaniae vel Dionysii (*ὁ γράψας ἐν στοιχιακῇ τάξει λέξεων* apud Eustath.) pertinuisse apertum est. Sed leve hoc, neque in sensum quicquam refert. Gravius putandum, quod vox *θεαιδής*, composita illa vocibus *θεός* et *αἰδέομαι*, non potest significare nisi eum, qui deum veretur, eum autem ut denotaret *ὃς θεοῦ ἰδέαν ἔχει*, scribendum esset vel *θεειδής (θεός + εἶδος)* vel *θεουδής*.[1]) Ad librariorum errorem refugium non est, cum omnia Dionysii Pausaniaeve excerpta idem praebeant *-αι-*. Inter se cum repugnent igitur lemma a lexicographis traditum et ipsorum explicatio, quod Eustathium iam sensisse verba eius demonstrare puto, neque Antiphontem ipsum glossam veterem, praesertim quae non inveniatur apud Homerum, perperam iam adhibuisse verisimile sit, utrum false descripserit vocem explicandam, an recte descriptam false explicaverit vetus interpres, quaestio oritur difficillima. Quo in discrimine sententiarum lemmati plus fidei habendum esse existimavit Duemmlerus (Ak. 80,1), cui assentitus est Joëlius (II 650). Neque argumentis haec opinio redargui potest; immo errorem tunc facillime ortum esse dicas ex eo, quod, cum de dei similitudine et de dei verecundia ageret auctor ita, ut alteram alterius causam diceret,[2]) lexicographus alteram cum altera confuderit. Sed iniuria, opinor, vir venerabilis Protagorae sententiam in dialogi

[1]) Quodsi hoc etiam ad *θεο-δFής* (i. e. deum verens) redire potest, sententiae nostrae non obest.

[2]) E. g. *θεοῦ εἶδος μάλιστα ἔχει (ἔχειν φησίν) ἄνθρωπος, ὅς φησι θεαιδέστατος . . . . εἶναι.*

Platonici p. 322 A prolatam hoc loco respici putavit. Nam cum respicere se alterius cuiusdam viri opinionem Antiphon ipse verbo *φησί* indicaverit, Protagorae tamen Platonici dicto homo, quippe qui divinae fortunae particeps sit, ex omnibus animalibus solus deos vereri dicitur, Antiphontis fragmento inter bestias omnes maxime. Illic igitur extra bestiarum numerum locum habet, intra hic. Neque parvi faciendum esse arbitror, quod ab Antiphonte vox adhibetur *θηρίον*, quae sicut *θήρ* bestiam (feram) semper denotat neque umquam, si non cum ignominia dicitur (cf. Anaxandrid. ap. Athen. XV 50), quem *ζῷον* (animal) denotare potest, hominem. Quare cum fieri omnino non posse eluceat, ut Protagorea his spectata sint, neque utrum genuina illa dicamus, an a Platone tantum ficta, mihi disceptandum fit et explicationi a lexicographis prolatae maior fides habenda esse videtur.[1]) Nam cum parum prudentis esset dictum: „homo qui omnium bestiarum deos maxime venerans esse vult"; — quoniam meo quidem arbitrio omnino non venerantur bestiae caelestes —, optime sese habiturum esset: „homo qui omnium bestiarum forma dei consimillima esse vult." Neque non talia posuisse Graecorum philosophos veteres postea demonstrabo.[2]) — Age nunc ad ipsum rei cardinem tandem perveniamus: Dixisse opinor Antiphontem hominem (*ἄνθρωπος*), quamvis omnium bestiarum appellaretur summa atque deorum consimillima (*θεειδέστατον*), miserrimam tamen degere vitam. Idcirco in vitae accusatione a nobis restituta hoc quoque fragmentum infuisse existimo et ante fg. 49 pono, quo item de homine (*ἄνθρωπος*) agi vidimus. Ut vero *θηρίον* vocis usu ratio quaedam insit, de bestiarum quoque vita, eadem scilicet miseriis turgente, antea disputatum fuisse praeterea concluseris.

Complexio.

Alterum igitur restituimus caput, quod erat de vitae miseriis (Vituperatio vitae). Cuius capitis integri fere

[1]) Ita cum Sylburgio et Buttmannio (Lexicol. I p. 173) Dielesius[1.2]. — [2]) Fortasse Diogenem Apolloniatam respiciebat auctor (cf. infra in capite de *Ἀληθείας* libro scripto).

adhuc servati haec fuisse putem lineamenta: Cuivis accusationi obnoxia est vita; nam quaecumque praebet, levia, brevia, doloribus immixta (51). Miserrime vivit homo, qui dei simillimus esse vult (48). Nam unius diei stationi aerumnosae vita adsimulanda est; tam brevis est tamque laboriosa tota (50. 68). Unaquaeque enim hominis aetas doloribus abundat. Simul enim cum vita ipsa calamitates quoque incipiunt; si infans, si iuvenis, si maritus — ut ego uxorem ducere nolim — si vir, si senex es, semper usque cruciaris (69, 49, 71, 67a, 66.)[1])

Huius quoque disputationis id proprium esse observes, quod rerum condiciones exposuisse satis habet auctor. E quibus ipse sibi vivendi rationem atque normam desumit, neque vero, ut reliqui eadem vel cogitent vel faciant, imperat. Vocibus *δεῖ, χρή, ποιητέον* vel *μὴ ποιητέον*, similibus spretis: Ego quidem, inquit, hocce modo agam his perpensis. Neque haec dicit, nisi ad res ipsas explicandas confirmandasve sententias, numquam ad homines impellendos. Neque quae omnes adtineant profert, sed privata sua amicique vel discipuli. Qua de causa mulieribus neglectis viros tantum

[1]) Vitae vituperationem Wilamowitzius quoque restituebat; sed eum tantum *βίον* perstrictum esse dixit, „in den", ut ipsius verbis utar, „der Mensch als Einzelwesen gestellt ist." At huius rei nullum exstat vestigium, immo repugnant fragmenta ipsa, quoniam matrimonium quidem malum appellari perspeximus. Sententiam autem probasse putabat auctorem primum „mit *νόμιμα βαρβαρικά* (46. 45)", deinde „mit reichhaltigen Proben aus dem Kulturleben seiner Zeit (48. 64. 49. 41)." At fgg. 45 et 46 aliter interpretanda esse videbimus; 48 haud id est, quod appelles „Probe aus dem Kulturleben", 64 sine dubio alio pertinet. Recte huc revocabat vir doctissimus fgg. 49 et 51, sed 51 aptius anteposueris 49, nec non, quod subiciebat, 50. 77 autem et 52 in alia libelli parte locum habuisse supra iam demonstravimus. Cum Wilamowitzio consentit Dielesius, nisi quod locum mutare iussit fg. 50 cum fg. 51, fragmentaque 64 et 77 una cum reliquis a Wilamowitzio non commemoratis (68. 69. 71. 67a [= ed. I 65]. 66) in ultimo libro collocavit. Croisetus denique sicut nos a fgg. 51 et 50 orsus submittebat 53a cum 77, tunc demum tamquam „détails" 49 et 66; sed 53a et 77 non sunt vitae vituperationes, neque magis 58, quod describere perhibebat „l'homme disputé toute sa vie par les passions qui l'égarent."

respicit. Neque tangit, nisi quae cum vitae usu cohaerent, neque altiora sectatur.

Concinunt haec optime cum auctoris animo atque moribus, quales ex ipsa disputatione efficere possumus. Nimirum non novum εὐαγγέλιον universo mortalium generi adferre sibi videbatur; neque erat, qui iuvenali ardore vel senis pertinacia doctrinam suam propagaret. Noluit cum vitae aerumnis bellum gerere, noluit cum sententiarum suarum adversariis. Agendi cupiditate spreta et aliis voluptatibus et matrimonii liberorumque, cum molestias exhiberent, renuntians tranquillitatem animi unam sibi appetebat. Sed quaeris, num eodem libro et haec proferri potuerint et illa, quae supra ad eum revocavimus. Nam rerum humanarum contemptione et despicientia imbutus virtutem toti vitae auctor derogabat. At vituperabat eos, qui diem non carperent neque fruerentur paratis. Omni actione supersedere, mortem ipse sibi consciscere debebat, quo celerrimum finem faceret miseriarum omnium copiae. At perstringebat, qui non optime hanc vitam instituerent, nec voluit remittere vivendi ipsius laborem. Sibi ipsi eum non constare concedo. Sed inconstantia vel in hoc de miseriis capite atque in uno eodemque fragmento inest, cum valetudini, victui, sapientiae, bonae famae, gloriae studere se ipse profiteatur. Nimirum ipsius eius animi est, qui omni doctrinae sententiarumque molesta superbia liber atque vacuus voluptatem inesse vitae non negabat, sed praevalere tantum affirmabat dolorem; qui feminam coniugemque non omni virtute privabat coniugioque suavitatem inesse concedebat. Quid? quodvisne repudiabat negotium, repudiabatne etiam vitae finiendae curam? Certe gnarus erat vitae; neque vero maiores eum quam ceteros passum esse labores iure existimaveris.[1]) Immo fortuna usus haud mala, cum ferventi quodam animo nimia cupivisset (cf. fg. 51), fructibus, quos de vitae arbore decerpserat, contentus non erat. Perstringebat fraudatricem, neque tamen excidere eam valuit, intimo interdum corde

[1]) cf. Kuno Fischer, Schopenhauer pp. 132 sq.

ipse sentiens, quam pulchra esset. Nam qui tanta pietate, tanto amore vitae minutias et respiciebat et describebat, vitae prorsus inimicus fuisse non potest. Amans erat vitae, qui gratia, quam nimiam optaverat, non obtenta amatam, cum obiurgasset, semper usque amavit, Catulli illius consimillimus, qui confessus est: „Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris. Nescio, sed fieri sentio et excrucior.“ Tum vero, cum scribebat disputationes a nobis resuscitatas, sine dubio aetate progressus iam erat. Senis enim a studio libertatem dixerim; senis tam claritatem quam gravitatem et sententiarum et verborum. Tunc uxorem neque habebat neque cupiebat; quamquam, utrum omnino nullam duxerit, an male moratam, potentialis ille, quo bonam uxorem simul se velle negat, simul invidia quadam admirante laudat, discernendi facultatem non praebet. Omne vero feminarum genus vituperasse eum vix crediderim. Fortasse matrimonio quidem abstinebat neque tamen omnino Venere. In ambiguo etiam relinquendum, quas ceteroquin vitae negotia susceperit. Verisimillimum tamen tunc neque quaestum eum fecisse nisi, ut victum sibi pararet laboribusque et doloribus quam maxime careret, neque studuisse rebus publicis. Cum vero inconstantiam suam ipse intellexisse non videatur, inter primos probatur eum fuisse, qui talium rerum disputationes ratione quadam atque disciplina instituerint. Quod rursus testimonio est, sententias eius non ad priorum doctrinas redire, sed ad ipsius vitae peritiam.

Conclusio cum refutatione.

Conclusionem iamiam faciamus. Etenim miserrimam esse omnem vitam neque εὐδαιμονίας locum praebere persuaserat sibi Antiphon. Aeternitatem autem cum negaret esse, ad beatiorem alteram reicere mortales (ut Cynici vel Christiani) non potuit. Neque mortem tamquam omnium aerumnarum finem invocare voluit. Facere igitur non potuit, quin praecepta daret, quibus obsecuti homines vitam terrestrem et unicam ita instituere quirent, „ut, cum beatos fieri in tanta hac rerum humanarum infirmitate et fragilitate non liceret,

devitarentur tamen mala et dolores, tranquilla vivendi aequabilitas obtineretur“ (Sauppe Comment. p. 15).[1]

Atque initium cepit sine dubio a vitae reprehensione, quod caput a nobis refectum aptissime exordiebatur ab appellatione illa sive amici sive discipuli, sive alius cuiusdam beatus fieri cupientis, quocum vel colloquebatur vel colloquentem se fingebat.[2]) Huius vero capitis finem optime excipiebat initium illius, quod de stulto vitae usu antea in ordinem pristinum redegimus.[3]) Praecepta sane hoc continentur. Sed cum imperare vel monere auctor nollet, et in priore capite, quae ipse pro hoc rerum statu facturus esset, adnotavit et tunc describendo perrexit: Miseram esse vitam, miserioremque eam sibi reddere mortales ipsos, quippe qui neque, quae praeberet, neque, quo modo his utendum esset, scirent. Descripsisse satis habuit et vitam illam et stultitias has, quas homines committerent. Quae vero hac e condicione rerum et concludenda et efficienda essent, quomodo vita illa per se miserrima aut non pessumdari aut aliquantulum corrigi posset, significabat magis quam pronuntiabat. Quo fit, ut neque forma quadam diversa neque certo quodam limine distincta sint duo illa capita. Immo ab altero lentissime ad alterum sententia labitur. Poetae potius habes ratiocinationem quam philosophi, tamen poetae haud obscuri sed claro praediti ingenio.

Eandem vero deprehendimus in singulis cum fragmentis tum capitibus. Ubi numquam artis argumentandi adminiculis, linea quasi subterducta conspicuis redditis, sed suapse semper vi sententiae progrediuntur. Quod recta adhuc nos statuisse probat. Habemus igitur totius libelli primam partem fere integram. Sed etiam viam monstrat ad reliqua reperienda. Nam disputationis illius de stulto vitae usu

[1]) Argumentum hoc dixit Sauppius florum Stobaeanorum, quos tamen ad Politicum referre voluit.

[2]) cf. [Xenophon] de rep. Athen.

[3]) Eadem statuit Wilamowitzius; Croisetum autem vitae vituperationi subiecisse vidimus (p. 20 adn. 2) 58, deinde 53, 54, denuo 58.

non restituimus nisi primam particulam, quae est de usu divitiarum. Indagandae ceterarum reliquiae eaeque, cum describant, praecepta re vera dantes. Quod examen priusquam suscipiamus, virorum doctorum sententias, quas iam commemoravimus, diversas breviter refutemus.

Quaeritur sane de fragmentis illis Stobaeanis. Sed de genuitate iam non ambiges; de Politico autem Sauppius nulla alia causa inductus cogitabat, nisi quod non haberet libellum aptiorem. Restat igitur Bureschi (l. l.) sententia. Qui omnia haec Stobaeana (51, 49, 66, 50; 53, 53a, 54) non ad aliud scriptum pertinere posse contendit, nisi ad consolationis volumen peculiare, quod ita comparatum, ut „varias de variis vitae casibus consolationes (vel fortuitorum remedia)“ contineret, spectaretur titulo illo a falso Plutarcho laudato (τέχνη ἀλυπίας). Neque non persuasit viris doctis vel omnino vel ad partem Gomperzio, Joëlio, Dielesio. At num consolatoris haec esse possint, quaero. Non nego in consolatione de morte optime locum habere vitae vituperationem, quippe cum, de Bureschi ipsius exemplis ut taceam, in Tusculanarum disputationum libro primo Tullius quidem timeri persaepe mortem doceat propter discessum ab omnibus vitae bonis: ea vero esse aut opinata tantum, aut tam pauca et parva, ut malorum et magnitudine et multitudine obruantur; atque morte omnia mala et pericula effugi (cc. 34—36). Sed eundem accuratius inspiciamus Tullium. Cyrenaicum Hegesiam sic copiose disputasse narrat de eo, quod a malis mors abduceret, non a bonis, ut is a rege Ptolemaeo prohibitus esse diceretur illa in schola profiteri, quod multi his auditis mortem sibi ipsi consciscerent. Et Callimachi epigramma in Ambraciotam Cleombrotum esse: quem dicat, cum nihil ei accidisset adversi, e muro se in mare abiecisse lecto Platonis libro. Quid? unone loco vitae incommoda nihili facere Antiphon iubebat homines? unone consolationes proferebat? unone mortis breviorem viam suadet? Contraria volebant nonnulla fragmenta! Neque contemni iubebat auctor mala, quae iam adessent, immo prohiberi, quae im-

minerent. Non consolabatur, immo ipse consolatione egebat. Eheu, mirum in modum consolatus esset homines, si consolabatur, ut voluit Bureschius, fabella illa stultum possidentem castigante. Scripsit sane Antiphon artem parandi animum ab omni aegritudine liberum sed non consolationibus post aerumnosa accepta adhibitis, immo vita sapienter instituta. Hic enim ipse, qui dicitur *περὶ ὁμονοίας* liber, *τέχνη* est *ἀλυπίας*; cuius et ex argumentis et e titulo postea scilicet addito deinde perperam intellecto (ars consolandi, „Kunst der Tröstungen" (Gomperz)) non sine malevolorum, puto, opera narrationes illae fingebantur ineptae, quibus haesimus in falsi Plutarchi vita Antiphontea. Cadit ergo peculiaris ille consolationum liber et cadunt, quae effecerunt Bureschius (l. l. pp. 76 sqq.), Joëlius (l. l. II 649), Gomperzius (Gr. Denker I 349 sq.). — Quibus positis examen illud adeamus.

fg. 55 = 110. Atque quo particulae *ἵνα* notio localis (= *ὅπου*) exemplo probetur, et Photius et Suidas excerptum habent: *ἵνα· ὅπου· Ἀ. ἐν τῷ περὶ τῆς ὁμονοίας· ⟨ὀκνεῖν⟩ ἵνα οὐκ ἔργον ὀκνεῖν* (55/110). Vituperabatur igitur, qui, cum opus non esset, id faceret, quod dicitur *ὀκνεῖν*. Quae vox ex fragmentis non insignitis advocanda aliquot libroque *περὶ ὁμονοίας* assignanda esse docet.

fg. 56 = 139. Ac primum quidem accedamus fg. 56/139. Quod quoniam *κακὸν* appellat, si quis absentibus futurisque periculis lingua se fortem atque audacem praestat voluntateque urget, opus vero cum adest, tum *ὀκνεῖ*, cum 55 modo allato con-

[1]) *εἴη* verbum, quod desideramus, cum non florilegio debeamus fragmentum sed lexico, potius e disputatione, quae olim antecessit, mente supplendum esse dicam, quam cum Sauppio Dielesioque verborum ipsorum inseram compagini; praesertim quod insuper postulaturum esset *τις* pronomen adiectum. Scribendum autem esse puto: *κακὸς δ' ἄν, εἰ ἐπ' ἀποῦσι . . . θρασύνεται . . . ἐπείγει . . . ὀκνεῖ.* Facillime enim, praesertim post *θέλειν*, librarius false posuit *ἐπείγειν* et *ὀκνεῖν*, quae sunt in codd. Non est igitur, cur refellam, quae Gaisf., S., Bl., Herm. temptaverunt. Neque *καὶ* particulam ante *ἐπείγει* transponendam esse puto cum Hermanno.

iungendum esse elucet.[1]) Haeremus autem in Suidae interpretatione. Quippe qui verbum *ὀκνεῖν* non *ἐπὶ δειλίας καὶ ῥαθυμίας* usurpatum esse contendat, sed *ἐπὶ τοῦ φόβου καὶ τοῦ φοβεῖσθαι.* Non sunt in fragmento ipso, cur haec monita esse dicas, quocumque modo interpretaris *δειλία* et *ῥαθυμία* voces. Contextum igitur, quo stabat olim, causam fuisse ponendum est. Nam hunc ipsum locum explicari a lexicographo tenendum, neque nimis tribuendum superbo illi Suidae *οἱ ῥήτορες.*

Atque de eis, qui appellantur *δειλοί*, res certe fuerat. fg. 57 = 125.
Nam cum hocce ipso nomine signatos esse illos, quos descripsit fg. 55, neque probet argumentum quodquam certum neque vetet, ignavorum descriptionis particulam habemus fragmentum 57/125, quo a Stobaeo, cui iam non diffides, in capite *περὶ δειλίας* (III 8, 18 H.) servato tantopere incipere aliquid timere *δειλοί* dicuntur,[1]) ut malum morbum tamquam diem festum accipiant. Sed quaestio iterum oritur, num sua protulerit Antiphon. Nam luculenta comparatio, quam dignissimam eo esse existimes, hexametri partem alteram vel anapaestorum versuum clausulam sonat formamque insuper dativi pluralis antiquiorem illam continet ut poetarum adprime propriam, ita in Antiphontis reliquiis ceteris nusquam recurrentem.[2]) Quas ob res equidem de poetae cuiusdam, quamvis ignoti, dicto aliquo cogitaverim, neque verba haec ad Antiphontis dicendi usum definiendum adhibuerim.[3]) At tamen testimonium praesto, egisse Antiphontem de ignavia vel ignavis.

Nec non de more ipso diverso ac contrario disputasse fg. 67 = 111.
videtur. Nam quid? nonne eos vituperatos esse, qui nullo consilio rem adirent, testis est glossa, quam adhibuisse

[1]) *πρᾶξιν* appellat, quod in reliquis fragmentis dixit *ἔργον*.

[2]) cf. Kühner-Blass I 1 § 105, 5. Meisterhans Gramm. d. a. I.[3], p. 126. Usum esse huiusmodi forma in pedestri oratione non solum Platonem (cf. Adam ad Rempubl. I 330 B) sed etiam Thrasymachum haud ignoro.

[3]) Antiphontem se ipsum laudasse haud putaverim, neque utar hoc loco, quo de epico vel tragico poeta cognomini quicquam efficiam.

affirmat Harpocratio Antiphontem *ἐν τῷ περὶ ὁμονοίας: ἀθεώρητος· ἀντὶ τοῦ ἀθέατος* (fg. 67/111)?

fg. 58 = 129. Advocandum praeterea fg. 58/129. Ubi proponitur hocce: *ὅστις δὲ ἰὼν ἐπὶ τὸν πλησίον κακῶς ποιήσων δειμαίνει, μή, ἃ θέλει ποιῆσαι, ἁμαρτὼν τούτων, ἃ μὴ θέλει, ἀπενέγκηται, σωφρονέστερος.* Quam propositionem sequitur probatio: Valere enim aliquid talem timorem primum demonstratur: „Dum timet (scl. *ὁ κακῶς ποιήσων*) enim, acturus est; dum vero acturus est, spatium temporis intercedens saepe avertit animum a propositis.[1]) Et si facta res iam est, hoc (scl. ut avertatur) fieri non potest, facienda autem dum est, licet fieri.“[2]) Tunc bonum esse, quod efficiatur cunctatione, exponitur: „Qui vero iniuriam se inferre aliis[3]) iniuriam ipsum non patientem opinatur, prudens (s. temperans = *σώφρων*) non est, neque iuvat hac in re fiducia[4]) (qua inducti sine timore vel dubitatione urgemus opus). Nam talis fiducia,[5]) ut in calamitates insanabiles inciderent homines, quaeque aliis illaturi erant mala, ipsi paterentur, saepe iam efficiebat.[6]) Haec autem ipsa dicenda prudentia (s. temperantia = *σωφροσύνη*), si quis sui ipsius compos praesentes animi voluptates (qualis est alterius male faciendi cupido) prohibere a se potest,[7])

[1]) Hoc quoque loco opponi *θέλημα* eo, quod est *ἔργον*, bene observa.

[2]) Tradita verba bonum sensum praebere existimo, neque lacunam statuam cum Blassio; quamquam elegantiorem sententiam fieri non nego, si vel cum Sauppio legeris *οὐκ ἔνεστι ‹μὴ γενέσθαι›* vel cum Dielesio *ἐνδέχεται ‹τὸ καὶ μὴ› γενέσθαι* (*‹μὴ› γενέσθαι* Buechel.), quae ita essent interpretanda: .. et quod factum est, non fieri non potest, quod vero faciendum est, fieri (scl. non) licet.

[3]) De vocum *ὁ πλησίον* et *ὁ πέλας* notione cf. Wilamowitz., Eur. Heracl.[1] II p. 92. *τοῖς πέλας* fortasse tenendum (cf. Kühner-Gerth II 1, 324, 6) neque scribendum cum Bl. et Mein. *τοὺς*. Legendum praeterea cum Jacobs., S., Bl., D. *πείσεσθαι δ' οὔ, οὐ σωφρονεῖ.*

[4]) *ἐλπίδες δ' οὐ πανταχοῦ ἀγαθόν.*

[5]) Sufficit Graecis vox *τοιαῦται* praegnanter posita.

[6]) Aoristum gnomicum (cf. Kühner-Gerth II 1, 158, 7 sqq.) cave deleas cum Dielesio[2] (*ἂν ἐφάνησαν* iterativ?).

[7]) Sententiam eam esse, quam nos posuimus, necesse est. Neque tamen scribere oportet *ἄλλο .. τι* (Mein. S. Bl.) vel *ἄλλως .. τις* (Buechel.) pro eis, quae tradita sunt *ἄλλος .. τις*. Breviloquentia enim quadam non

neque animo ad tempus indulgens peiora meliorum loco cupit. *σώφρονος* vero nomen derogandum ei, qui numquam turpia vel mala cupiverit aut tetigerit, quoniam non est, quo victo prudentem se praestiterit.“[1])

Ultimum hoc enuntiatum non coniunctum cum prae- fg. 59 = 130.
cedentibus, sed seorsim a Stobaeo laudatur in capite *περὶ σωφροσύνης*; quare et a Blassio (sede 130) et a Dielesio (sede 59) separatum ab illis ponebatur. Sed coniungendum esse cum fragmenti 58/129 ultimo enuntiato eo demonstratur, quod alterum quasi vocis *σώφρων* finem indicat. Quibus simul discimus *σωφρονέστερον* illum, qui inferre iniuriam dubitaret, non fuisse oppositum ei, qui numquam inferre animum inducasset, neque omnino *σώφρονι* cuidam, immo ei, qui nulla dubitatione retentus iniuriam fiducia plenus persequeretur.

Optime haec omnia procedere puto, dum modo retineas, neque quae de temperantia addantur, ad sententiam ea de

singulari dicebatur: „Nemo rectius definiat prudentiam, quam ‹si quis etc.›“ pro „nemo rectius definiat prudentiam, quam si definiat ‹si quis etc.›.“ Accedit, quod, si *ἄλλο* scripsisses, melius esset *ὀρθῶς* quam *ὀρθότερον*. *τε—καὶ* autem cum apertissime sibi respondeant duriusque esset *ἀσύνδετον* quod vocatur, pro *ἐμφράσσει* recte scribebat S. *ἐμφράσσων*. Iniuria vero iudicabat verba *αὐτὸς ἑαυτὸν*, quae ante *κρατεῖν* leguntur, si scripsisset Antiphon, non posse non cum verbo *κρατεῖν* coniungi, verbis autem synonymis *κρατεῖν* et *νικᾶν* bis addi pronomina *αὐτὸς ἑαυτόν* verisimile non esse. Si tenuimus verba, quae inducebat Bl., coniunximusque cum *ἐμφράσσων* verbo, nil esse puto, quod taedio sit; quamquam huius vocis *ἐμφράσσειν* usus exemplum me non habere confiteor; neque in vocabulorum positione *τοῦ θυμοῦ ταῖς παραχρῆμα ἡδοναῖς* haerendum. Quae si non accipis, scribendum tibi cum Sauppio *τὰς παραχρῆμα ἡδονάς*.

[1]) Quamvis recte monuerit Sauppius non ea, quae concupiscat vel in quae incidat, superare debere hominem, ut temperantiae laudem inveniat, sed se ipsum animique cupiditatem, iniuria tamen quamquam assentientibus Blassio Dielesioque[1] pro *ὅτου* optimo („non se ipsum vincit, ergo non est, quod vincit,“ cf. Dieles.[2] „er hat sonst (?) nichts, durch dessen Ueberwindung er seine autonome Sittlichkeit bewähren kann“) posuit *ὅπου*. *παρέχεται* vero mutandum esse videtur vel in *παρέσχετο* (Bl.) vel, quod minus placet, *παρέσχηται* (D.[1]).

timore probandam afferri, neque temperantiae natura ut definiretur, timoris exempla produci. Nimirum non studebat auctor nisi, ut recte sese adhibuisse ostenderet vocem *σώφρων*. Et definiebat illam, ut indicaret hoc ipsum, quod suaderet rectum *ὀκνεῖν, σωφρονεῖν* esse illud ab omnibus sapientibus praedicatum.[1]) Neque ubi reponamus fragmentum, dubium relinqui posse arbitror. Nam haud res erat de iniuria,[2]) immo de timoris speique pretio. Et oppositum sane stabat initium illud, quod supra exscripsi, fragmento, quod antecedebat 56. Etenim *τὸ θέλειν* et *τὸ ποιεῖν* et hic et illic sibi respondent;[3]) illic quoque inducebatur, qui *δειμαίνει, μή, ἃ θέλει ποιῆσαι ἁμαρτὼν τούτων . . . . . ἀπενέγκηται*; *δειμαίνει μή* hoc idem prorsus est atque *ὀκνεῖ* illud. Quocirca etiam illud hocce interpretabatur Suidas vel Suidae auctor (*ἐπὶ τοῦ φόβου καὶ τοῦ φοβεῖσθαι*); cum vero hi cunctatores oppositi essent ignavis antea depictis, adiciebat, quibus offendebamur, *ἐπὶ δειλίας*.[4])

Complexio.

De eo igitur, quod est *ὀκνεῖν*, disputationem habemus propriam.[5]) Atque vituperavit Antiphon levitatem illam animi, qua nullo consilio, quorum in mentem nobis veniret, persequeremur (67), suasitque cunctationem. Sed noluit

[1]) Blassius enim (De Antiph. etc. p. 13) membrum *ἐλπίδες—ἀνεφάνησαν αὐτοί* parum aptum esse ratus disputationi, quam appellabat de *σωφροσύνη*, ex eodem hoc fragmento huius fuisse scriptoris concludebat in quovis argumento de quacumque re agere.

[2]) Croisetus enim fg. 58 agere voluit de homine „disputé toute sa vie par les passions qui l'égarent“ et „de la méchanceté à l'égard de l'autrui.“

[3]) Nota et verborum ponendorum argutias, quibus *μὴ ἃ θέλει* et *ἃ μὴ θέλει* enuntiati membrum utrumque incipiens elegantissime alteri respondet, et sermonis virtutes ac proprietates, quibus homo, de quo agitur, reviviscit quasi.

[4]) Cum legamus apud Suidam *ἐπὶ δειλίας καὶ ῥαθυμίας* neque *ἢ ῥαθυμίας*, *ῥαθυμία* (Interesselosigkeit) voce eosdem, quos *δειλία* (Energielosigkeit) notatos esse existimem neque eos, qui nullo consilio omnia adeant (fg. 67=111)

[5]) De Ocno illo (cf. L. Schmidt, Die Ethik der Griechen I p. 102, 39), de quo cogitabat Wilamowitzius, in Antiphonteis equidem invenire nil potui.

laudare omnem cunctatorem, immo perstrinxit etiam ignavos, qui nil prorsus incipere ausi cunctarentur etiam, ubi cunctandi locus non esset (55, 57), nec non malos, qui, cum antea superbissent, in re facienda trepidarent (56). Iustam tantum rectamque cunctationem praedicavit (58). Qualis cunctationis suo more tamquam exemplum inducebat cunctationem illam in alio malefaciendo obortam, suoque more sententiam propositam argumentis additis confirmabat exemplumque, ut fecerat in fg. 54, elegantius depingebat atque exornabat (cf. 58, 59).

Sed cum inter praecepta illa, quae nominavimus, disputationem olim locum tenuisse appareat,[1]) quae praecesserint, quae successerint, statui pro certo non potest. At coniectura in propinquo est. Certe non de eo agebatur, quod Wilamowitzius dicebat „Egoismus“. Immo perstringebat Antiphon homines, qui vita hac, quam reponere non liceret, perperam uterentur. Atque vituperabat primum quidem eos, qui praeparantes usque nullis, quae praesto essent, fruerentur nullaque adirent (cf. pp. 21 sqq.), deinde sua ratione progressus diversos ipsos, qui nimis cupidi vivendi omnia adire omnibusque frui vellent. Quos, ut rectum in omnem rem adhiberent consilium, hortabatur, primamque suadebat rectam cunctationem. Moris autem descriptionis, unde flores ad iuvenes adhortandos utiles excerpere non licuerit, vestigia nulla habemus; contra e praeceptis ipsis totam fere tenemus disputationem de cunctatione, quae ita erat instituta, ut singulae cunctationes adiectivis aut laudarentur aut perstringerentur (cf. fg. 54 finem), in argumentatione autem uberiore poetarum in modum afferentur, quae propria potius particula tractata existimaveris (cf. fgg. 49. 54).

Restat igitur, ut singula accuratius inspiciamus. Confirmant enim, quae iam de moribus atque animo Antiphontis conclusimus, et nova praebent cum illis conspirantia.

[1]) Cum Stobaeanorum fgg. 57, 58, 59 Sauppius (Croisetus 57 et 59) denuo ad Politicum rettulisset, Bureschius 58 arti consolatoriae assignabat. Sed quomodo eo consolatus sit Antiphon, nescio.

Nam cunctationis virtutem atque condicionem exemplis e vita atque peritia desumptis explicabat. Neque laudabat morem illum, quod vel sublime aliquid vel deis gratum, sed quod emolumento sit homini ipsi. Suum scilicet quantum poterat spectabat usum. Ne mala acciperet, mala facturus non erat;[1] ignaviam castigabat, quod non solum bonae famae obtrectaret,[2] sed etiam ita turbaret hominis animum, ut timore usque cruciaretur et valetudinem summum illud primumque bonum devoveret;[3] similiter perstringebat gloriantem timidum, quem ut malum cives odisse apparet.[4] Neque omnino omnem laudabat cunctationem; quippe qui nullam rem omnino bonam esse per se voluerit, sed rerum semper respexerit condiciones. Nimiam impugnabat fiduciam, nimium timorem. Non semper malas esse contendebat *ἐλπίδας*, non semper bonas. Neque indulgebat ipse sententiarum umbris, sed vitam semper consulebat. Maioris faciebat consilium prudens quam caecam audaciam. Neque suam *σώφρονος* definitionem diversissimam certe ab Aristotelis (Eth. Nic. VII c. 9) ab aliis prolatae alicui opposuisse videtur, immo redisse potius ad omnium consensum. Quod vero non appellabat *σώφρονα* nisi eum, qui voluptatibus tentatus continentem se praestitisset victoria, cave hac definitione vocabuli virtutem eis, qui non essent tentati, derogasse tentationemque boni omnis viri postulasse auctorem cum Wilamowitzio[5] vel Joëlio (l. l. p. 658) efficias. Nomen illud derogabat non tentato, neque tamen probitatem. An qui numquam malum cupiverit, caelestem eum potius quam mortalem esse existimabat, mortalium sane debilitatem prorsus habens cognitam atque perspectam?[6] Vic-

[1]) cf. fg. 54 (vd. pg. 19).

[2]) cf. fg. 49 .. *ὑπὲρ δόξης* .... *καὶ εὐκλείας*.

[3]) cf. ib. .. *ὑπέρ τε τῆς ὑγιείας τοῦ σώματος*.

[4]) cf. ib. .. *ὑπὲρ δόξης κτλ.*

[5]) „Denn erst die Selbstbezwingung, die ohne die Lust der Sünde nicht denkbar ist, hat sittlichen Wert."

[6]) De *σωφροσύνης* apud Antiphontem pretio cf. 49 .. *ὑπὲρ* .. *σωφροσύνης*.

toriam porro reportare opus esse de se ipso dicebat vel, quod idem est, de animo suo. Animum enim significat *θυμός* vocabulum, ut apud Heraclitum (fg. 85 D.) et Democritum (fg. 236 D. cf. Diels. praef.), neque iure Sauppius, posteriorum, v. g. Aristotelis, usum respiciens, fragmentum Antiphonteum hisce verbis circumscribebat: „. . . iracundiam fortiter coercendam."[1]) Hanc vero victoriam in eo positam esse, quod non gerimus morem *ταῖς παραχρῆμα ἡδοναῖς*. *Ἡδονὴν* igitur, quae vox Graeca, ut Latina voluptas, nostras „Lust", et cupiditatem et gaudium et delicias denotat, ut aliis locis[2]) ita hoc tamquam rerum normam adhibebat. Neque nisi verba discrepant, si pro *λύπη* opposita sunt *κακά* vel *συμφοραί*; alterque ex altero interpretandus est locus. Sine argumentis enim *τὰς παραχρῆμα ἡδονὰς* cum omnes tum iniuriam inferendi mala afferre ponere licuit, quoniam priore loco omnibus demonstrabatur voluptatibus succedere magnos dolores; non meras autem voluptates matrimonium praebere contendi potuit, quoniam praeberet tantum praesentes. Atque vituperabat auctor homines et hic et illic, quod voluptatibus minores sint. At tamen voluptates vel voluptatem omnium rerum iudicem habebat. Repudiabat scilicet voluptates, ne dolores acciperet subsecutos — voluptatis igitur causa. Quare ita versari coactus erat, ut voluptates singulas metiretur, quo eas eligeret, quas quam minimae exciperent aerumnae. Haec quoque unius texturae fila nos tenere indicant. Neque omittere volo, hoc quoque capitulum non iuvenem ardentem sapere, immo senem prudentem.

Sed alius quoque praeceptorum capituli vestigia exstant. fg. 65 = 109.
Etenim de amicitia quoque disputatum fuisse in libro *περὶ ὁμονοίας* fragmento 65/109 (Suid. s. v. *θωπεία*) evincitur, quod particula *δὲ* incipiens multos[3]) esse ponit, qui amicos

[1]) Rectiora sunt Wilamowitziana: „Deshalb soll der Mensch sich und seine persönliche Leidenschaft beherrschen lernen."

[2]) cf. fg. 49.

[3]) De multis saepissime loqui auctorem nota; cum initio autem cf. fg. 53a (*εἰσί τινες*).

sese habere non intellegant, sed socios habeant divitiarum adulatores et fortunae blandientes.

fg. 64 = 135a. Itaque in Excerptorum Vindobonensium loco: *αἱ νέαι φιλίαι ἀναγκαῖαι μέν, αἱ δὲ παλαιαὶ ἀναγκαιότεραι* (fg. 64/135a) pro Antiphanis nomine, quod praemittitur, reponendum esse Antiphontis (Mein. Saup. Bl. D.) verisimillimum fit: praesertim cum sententia illa „Novae amicitiae artae sunt“ — neque enim aliter interpretari possum *ἀναγκαῖαι*[1]) — „sed etiam artiores veteres“ non abhorreret a senis huius animo indulgenti atque miti.

fg. 63 = 107. Quid? hucne etiam releganda obscura illa Harpocrationis glossa: *διάθεσις· ἀντὶ τοῦ διοίκησις ὁ αὐτὸς* (Antiphon orator) *ἐν τῷ περὶ ὁμονοίας· ἀλλ' εἰδότες τὴν διάθεσιν ἀκούουσιν* (63/107) itaque interpretanda: „Sed vitae conditiones ⟨optimas⟩ cognitas habentes oboediunt (vel audiunt) ⟨adulatores⟩?“ An significat: „Sed morem cognitum habentes amici audiunt“ (cf. Aristot. Eth. Nic. VIII 3, 8 *σπανίας δ'εἰκὸς κτέ.*)? An ad rem publicam pertinet („Rei publicae administrandae periti ⟨bene⟩ audiunt“)? An de liberis educandis res est? Non liquere confiteor cum editoribus.[2])

In eodem autem *περὶ ἀγωγῆς καὶ παιδείας* capite continentur, quae restant Stobaei luminum Antiphonteorum tria.

fg. 60 = 134. Ac primum quidem (60/134) de liberis educandis agere manifestum est. Ubi brevissime proponit auctor: *πρῶτον, οἶμαι, τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐστὶ παίδευσις* i. e. „Primam (i. e. gravissimam) omnium rerum humanarum (vel omnium quae penes homines sunt rerum) educationem esse puto, qua liberi fruimur.“[3]) Suam igitur sententiam se proferre con-

[1]) cf. Antiphon VI 4 et Wilamowitz, Philol. Unters. I p. 48.

[2]) Qua ratione inductus Dielesius[1, 2] glossam inter fg. 62 et 64 posuerit, ignoro.

[3]) Ita *παίδευσις* vocem interpretandam esse, neque omnem educationem spectari contextu demonstratur. *πρῶτον* autem idem esse atque gravissimum et *οἶμαι* additum probat et argumentatio ab *ὅταν γάρ* incipiens.

fitebatur neque, ut omnes eandem haberent, ludi magistrorum more molesto postulabat; neque reliquis rebus omnem denegabat vim. Et initio et fine, locis illis egregiis, verba ponebat maximi momenti, medio inserebat minoris. Brevissimam autem propositionem argumentis accuratius firmabat ita, ut universam primum sententiam testimonio adhibens, si quis cuiuslibet rei principium instituisset recte, rectum quoque finem fore apparere exponeret, deinde sententiam, quam nominavi universam, ipsam exemplo suo iure se adhibuisse demonstraret, conferens cum hoc exemplo rem tractatam, quippe quod eodem modo exemplum esset sententiae illius universae.[1]) Eundem igitur ratiocinationis modum deprehendis, quam in fgg. 49/131 et 54/128, viri scilicet, qui sua non vanis sententiarum umbris firmaverit, sed vitae ipsius tanto amore penitus perspectae rebus solidissimis. Et singula quoque eundem auctorem monstrant. In universa enim illa sententia habes *ὀρθῶς* vocem pro *εὖ* (cf. fg. 58) usurpatam, gradus rerum respectos (cf. fg. 49), optime omnia posita, optime verbis reddita; habes concisum illud „cuiuslibet rei“ pro longa singularum rerum enumeratione; habes *εἰκὸς* illud liberalius pro severo *δεῖ*. In comparatione autem lepidissima, qua et, quale semen ingesserimus agro, tales nos exspectare debere fructus,[2]) et, si liberalis (i. e. bona) educatio corpori iuvenili ingesta sit, vivere hoc atque virescere per totam vitam neque demi posse vel imbre vel imbris penuria exponitur, non solum sermo notandus poeticus, sed etiam rei comparandae cum comparata in unum illa complexio, qua verba huic tantum apta ad illam transferuntur. Et idem vocum *ζῆν* et *βίος* usus, qui in fgg. 53 et 52. Et eodem, quo in fg. 49 modo, de homine educando vel colendo non *ψυχή* vocem adhibet, immo *σῶμα*. Unus enim ei est homo atque totus; et *σῶμα* hoc

[1]) Pro ut—ita denuo Graecorum in modum adhibetur et—et.

[2]) Pulcherrime opposita sunt, quae ipse finxisse videtur auctor, *ἐναρόω* et *τὰ ἔκφορα*; hoc autem vocabulo continentur et flores et qui propria notione dicuntur fructus.

appellandum, cui insunt tantum cum *γνώμη*, qua cogitationes continentur (cf. 49), tum *θυμός*, e quo oriuntur voluptates (cf. 58). Quibus rebus perpensis facere non possum, quin hoc quoque frustulum cum Wilamowitzio ad *ὁμόνοιαν* reiciam.[1]) Quod vero sententiam ipsam attinet, ut omnes Graeci veteriores axioma habebat Antiphon probatione non indigens, iuvenem esse instituendum, ut non Protagorae Antisthenisve in modum, qua aetate incipienda esset institutio, quaereret. Neque novam rationem propagare volebat, sed, ut Graecorum solemnis illa adhiberetur, postulabat. Et plurima ab institutione tamquam a semine pendere putabat; quae cum bona fuissent, *κτῆμα* fore *εἰς ἀεί*. Abhorreret autem ab ipsius animo, si hominis indolem omnino neglexisset. Quare huc
fg. 70 = 115. relegaverim fg. 70/115: *εὐηνιώτατα· Ἀ. ἐν τῷ περὶ ὁμονοίας. εὐήνιος ὁ πρᾶος καὶ μέτριος καὶ μὴ ταραχώδης· ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἵππων.* Ipsum vero institutioni studuisse Antiphontem[2]) cave efficias e fragmenti verbis talia haud probantibus.

fg. 62 = 0. Similia spectat secundum quod relinquebatur fragmentum: „Quali maximam diei partem aliquis utitur, tales ipsius mores fieri opus est." Quod cum lemmate non addito in eodem de disciplina capite subsequeretur fg. 61/135 Antiphonti nominatim tributum, Wachsmuthius, cui assensus est Wilamowitzius, Antiphonti assignandum esse existimabat,[3]) Dielesius post Wilamowitzium fragmentorum ordinis recepit sede 62 (deest ap. Bl.). Re vera non solum singulas voces, ut *οἵῳ — τοιοῦτος, τις, ἀνάγκη γενέσθαι*, cum similibus, iisdem fg. 60 conferri licet; sed etiam cum illius sententia, qua educationis quam maxime interesse dicitur, prorsus congruit huius, qua usu hominum mores fingi affirmatur. Eiusdem igitur et auctoris et libri cum utrumque esse constet, tamen an eiusdem quoque disputationis dubium, quandoquidem tam de

[1]) Blassius Croiseto assentiente et hoc fragmentum et 61 ad Politicum referebat (cf. A. B. I 113. III 359, Ant. or.[2] adn. ad fg. 134).

[2]) Ita Wilamowitzius l. l.: „Der Weg aber ist, wie vom Weisheitslehrer zu erwarten, die Erziehung." cf. Gomperz l. l.

[3]) Duos versus, quos Menandreos credebat, constituit Spengelius cf. Wachsm. ad. l.).

amicorum vi agens („bonis tantum amicis utendum, nam . . ") quam de magistrorum („bonis tantum magistris utendum, nam . . ") vel educationis („effici potest aliquid educatione, nam . . ") ad talia deduci potuit Antiphon. Tamen huic forte sententiae succurrere putaveris capitis Stobaeani titulum.

Educationis postremo vim confirmat etiam tertium fragmentum (61/135). Et notam habes argumentationis rationem, fg. 61 = 135.
cum brevissime rerum condicioni propositae: *ἀναρχίας δ' οὐδὲν κάκιον ἀνθρώποις* copiosiora addantur, quae hac e condicione priores homines effecerint: „Quibus intellectis priores assuefaciebant liberos inde ab initio[1]) iuberi et iussa facere, ne adulti (i. e. viri) *εἰς μεγάλην μεταβολὴν ἰόντες ἐκπλήσσοιντο*," probantia scl. simul propositionem, simul, ut eadem efficiant, nunc viventes tecte monentia. Itaque hoc quoque lumen e libro *περὶ ὁμονοίας* desumptum esse existimo. Neque mirum illo cum alia mala, sive deorum numine, sive hominum ipsorum stultitia vitam humanam implentia, tum *ἀναρχίας* maximum tractatum quoque modo effugi posset expositum fuisse. Sed quamnam dicamus hanc *ἀναρχίαν*, exsistit quaestio. Quid? debebat talis, qualem posuimus, libri auctor quidem Graecus respicere etiam res publicas? Non potuit, qui de divitiis, de bono consilio, de amicis, de educatione praecepisset, neglegere de rebus illis praecepta, quibuscum ut apud veteres uniuscuiusque civis vita artissime cohaerebat?[2]) Tum pradicabat tempus actum, praedicabat obtemperantiam et erga parentes et erga magistratus; et *ἀρχήν* laudabat, non *νόμον*; perstringebat *ἀναρχίαν*, non *ἀνομίαν*. Non igitur erat novarum rerum studiosus, neque plebis assectator, neque iuvenis, sed maior natu vir, patrum institutiones servans, optimatum amicus. An non civilem *ἀναρχίαν* auctor spectavit, sed animi affectuum voluptatumque effrenatam illam licentiam, quam coercendam compescendamque putabat ratione? Quoniam

[1]) *ἀπὸ τῆς πρώτης* (h. e. *ἀπὸ τῆς ατης*) perperam scribebat Meineckius.

[2]) Itaque ne hoc quidem fragmentum est cur Politico attribuamus cum Sauppio, Blassio, Croiseto.

hanc quoque in rem quam maxime refert, si quis, dum sui nondum est arbitrii, parentum praeceptis oboedire consueverat. Certe talia quoque optime quadraverint in libelli argumenta. Difficillima res est disceptatu, cum ne id quidem constet, quid sibi velint verba illa *εἰς μεγάλην μεταβολὴν ἰόντες ἐκπλήσσοιντο.* Nam nescire me confiteor, utrum dixerit auctor: „ne novis rebus studentes percellerentur (s. eicerentur)," an „ne aliter vivere (i. e. oboedire) coacti perturbarentur," an „ne animi discordia intestina orta tranquillitatem amitterent." Sed quoquo modo interpretaris fragmentum, certe non probat, quae Wilamowitzius putavit, exposita fuisse haecce: „In . . einem Altruismus . . . liegt das Heil, so kommt man zu *εὐδαιμονία* . . . Nur die geordnete menschliche Gesellschaft, der Staat kann sie geben."

Quotquot igitur flores Antiphontei luculentissimi apud Stobaeum exstant, ad unum *περὶ ὁμονοίας* libellum referendos esse ipsorum et stilo et sententiis comprobabatur. Neque miraberis hoc scrutationis eventu, cum celeberrimum illum ipsum fuisse sententiarumque splendore insignem Philostratus opportunissime testatus sit.[1])

Complexio. Sed fragmenta haec postrema, cum ad libellum *περὶ ὁμονοίας* rettulimus, quomodo digerenda cumque reliquis componenda essent, nondum inquisivimus. Neque ut nullum relinquatur dubium, absolvere posse quaestionem mihi videor. At tamen hoc quidem manifestum est praeceptorum illorum omnia esse particulas.[2]) Nec non apparet talem instituendam esse digestionem, quae neque cum libri lineamentis iamiam constitutis discrepet neque, ut lacunarum maiorem numerum statuamus, cogat. Quas ob res verisimillima puto haec: Post disputationem illam, quae

[1]) . . . . . *σοφιστικώτατος δὲ ὁ ὑπὲρ τῆς ὁμονοίας, ἐν ᾧ γνωμολογίαι τε λαμπραὶ καὶ φιλόσοφοι, σεμνή τε ἀπαγγελία καὶ ἐπηνθισμένη ποιητικοῖς ὀνόμασιν, καὶ τὰ ἀποτάδην ἑρμηνευόμενα παραπλήσια τῶν πεδίων τοῖς λείοις* (44a Diels[2]).

[2]) fg. 64 Wilamowitzius in vitae vituperationem referebat tamquam testimonium miseriae.

erat de temperantia (fg. 58), haberi hanc virtutem maxime interesse Antiphon dixerat (—); nam cum ea neglegeretur, *ἀναρχίαν* esse orituram. Hoc autem maximum esse malum; quare priores liberos iussa facere assuefecissent (61). Indolem vero, qua alter altero facilius regi posset, dedisse deum (70). Quantum tamen penes homines, ab educatione, qua liberi frueremur, plurimum pendere (60). Neque parvi faciendos esse amicos; quoniam qualium commercio uteremur, tales ipsos nos fieri necesse esset (62). Artiores autem esse novis amicitiis veteres (64 + 63?). Sed existere, qui veros se habere amicos (veteriores sane illos) non cognoscerent cumque falsis una viverent (65).

Progrediantur ea sine dubio non solum optime, sed etiam eadem, quam novimus, ratione, ut non sit, cur plura excidisse statuamus. Quin ad ineuntis libri appellationem redisse putaverim auctorem. Nam quid? nonne enuntiatis his de amicitia, ut sodalibus iuvenibus neglectis seniori sibi fidus maneret, iuvenem illum adhortabatur? Equidem finem quoque libelli tenere nos arbitror; praesertim cum neque desideremus quicquam neque, quae locum hunc obtinuerint, fragmenta habeamus alia.

Neque enim relinquuntur examinanda, nisi tria vel unius tria frustula. fgg. 45—47 = 116—118.

Insunt enim in Harpocrationis lexico haec:

(45/117) *Σκιάποδες· Ἀ. ἐν τῷ περὶ ὁμονοίας. ἔθνος ἐστὶν Λιβυκόν.*

(46/116) *Μακροκέφαλοι· Ἀ. ἐν τῷ π. ὁ. ἔθνος ἐστὶν οὕτως καλούμενον.*

(47/118) *ὑπὸ γῆν οἰκοῦντες (λέγοι ἂν τοὺς ὑπὸ Σκύλακος ἐν τῷ περίπλῳ λεγομένους Τρωγλοδύτας καὶ τοὺς ὑπὸ Ἡσιόδου ἐν γ' καταλόγου Κατουδαίους ὀνομαζομένους)· Ἀ. ἐν τῷ π. ὁ.*

Unius disputationis haec esse elucet. Sed quid sibi volunt in nostri libelli argumento gentes hae „non extremas orbis oras incolentes, sed in fabulis tantum mythographorum vel antiquissimorum somniis geographorum sedes tuentes" (Sauppe l. l. p. 14)? Exemplis fortasse ita illis Antiphontem usum esse

Sauppii ingenium coniciebat, ut „concordiam a natura ipsa hominibus monstrari dixisset, quippe cum eis, qui regionem aliquam incolerent, unam universis eandemque, a reliquis hominum generibus prorsus diversam, corporis conformationem dedisset eaque etiam animorum consensionem commendasset.“ Similia posuit Duemmleri (Prolegomena p. 46 = Kl. Schr. I 206 [cf. p. 182,1])[5] sagacitas: „Wenn Antipho in seiner Schrift περὶ ὁμονοίας . . die μακροκέφαλοι, die σκιάποδες und die ὑπὸ γῆν οἰκοῦντες erwähnt hatte, so hatte er vermutlich die ethnographische Romantik verwertet, um die Durchführbarkeit seiner politischen Ideale zu beweisen.“ Sed recte „fortasse“ vocabulum ille, „vermutlich“ hic adiecit sententiae. Nam cum neque abhorreat ab libri περὶ ὁμονοίας auctoris natura, si, ut priorum temporum homines, ita laudaverit gentes fabulosas, neque non quadrarent talia, qualia posuerunt viri clarissimi, in libelli ipsius argumentum, tamen incertissima haec sunt. Etenim ne dicam fieri posse, ut omnino non sua protulerit Antiphon, sed alterius cuiusdam auctoris examinaverit sententias (cf. fg. 48), gentes illas neque ad eas, quas voluerunt Sauppius Duemmlerusque, res probandas adhibitas esse umquam a Graeco scriptore habemus testimonium[6]) neque tales prorsus fuisse recte existimaveris, quales quis tamquam exempla civibus proposuerit. Neque probabilior Wilamowitzii sententia;[7]) qui inductos dicebat populos tamquam νόμιμα βαρβαρικά, quibus demonstretur, ut viri docti ipsius verba laudem, „dass der βίος, in den der Mensch als Einzelwesen gestellt ist, roh . . nicht lebenswert ist.“ Nimirum titulo tantum libri et Sauppius et

[5]) Duemmlerum exscripsit Poehlmannus (Sozialismus und Kommunismus im Altertum I p. 118). A Sauppio vero pendens Croisetus (Annuaire etc. l. l.) populos in fine libri inductos esse dicebat: „à titre d'exemples de la douceur de moeurs recommandée par l'écrivain.“

[6]) Quandoquidem Aristophaneus ille locus (Av. 1553), quem advocabat Duemmlerus, non cum viro docto intelligendus est, sed cum Droyseno (in interpret. Germanic. ad l.) vel van Leeuweno (ad l.).

[7]) Qua accepta Dielesius[2] fgg. 45—47 fluxisse adnotabat ex eo quod dicebat „Schilderung der Barbarei.“

Duemmlerus et Wilamowitzius ad sententiam suam deductus est. Quem vero tam ambiguae interpretationis esse videbimus, ut equidem ne unius quidem fragmenti explicationem ab eo pendere velim. Immo fragmento illo 48 advocato ita disputationem institutam fuisse putaverim, ut Antiphon vitam humanam perstringens omnes homines, qui dei simillimos se esse perhiberent, miserrime vivere dedoceret, et qui monstruosum haberent corpus subque terra vitam degerent et reliquos Graecorum barbarorumve ritu et formatos et viventes.

Quid? nonne ita fere supplenda sunt, quae supra revocavimus (p. 35): Omnis vita miserrima est (51); miserrime vivit, qui dei se simillimum esse gloriatur homo (48). Nam sunt, qui monstruosum turpeque habent corpus, sunt, quibus sub terra vita degenda est (45—47). Sed condiciones ponamus quam optimas, misera tamen vita est (50, 68; 69, 49, 71, 67a, 66),[1]) miserioremque sibi ipsi stultitia intemperantiaque reddunt mortales (praecepta quae nominavi)? **Complexio.**

Haec sunt fragmenta, quae libro περὶ ὁμονοίας danda esse mihi persuasi.[2]) E quibus, cum optime conspirarent, gradatim totum fere libellum in integrum revocavimus. Erat igitur circuitu haud ita magno, nimirum cum non enumerasset auctor serie quadam sententiarum optime sese excipientium, quae minutiarum laboriosa compositione contulisset, sed, quam intuitus quasi mente sibi finxerat, splendidissimis coloribus descripsisset imaginem. Et erat, quem aptissime nominaveris „Ein Buch der Lebensweisheit.“ Qualis liber ut exstiterit, fieri posse nemo negabit, neque deest consimillimus Schopenhaueri, philosophi nostri, notissimus.[3]) **Conclusio cum refutatione (De libri titulo).**

[1]) cf. p. 183.

[2]) De fragmentis illis, quae e sophista quodam V s. exeuntis a Jamblicho exscripta Antiphonti attribuit Blassius, huic περὶ ὁμονοίας libro Th. Gomperz, inferiore loco agemus.

[3]) Aphorismen zur Lebensweisheit (Parerga und Prolegomena II). Schopenhauerus quoque a vitae vituperatione initium cepit eademque ratione progressus praecepta dat ad vitam doloribus quam liberrimam instituendam. Nec non in singulis sententiis conspirat cum Antiphonte.

Sed aliena sunt, quae de libri consilio atque sententia protulerunt. Etenim Sauppius concordiam et veram amicitiam, quippe qua rerum publicarum privatarumque salus contineretur a sophista commendatam esse coniecit.[1]) Et haec quoque viri clarissimi coniectura dubitanter quamvis prolata et valuit et valet apud omnes fere viros doctos. Ut Croisetus (Annuaire etc. l. l.) libri argumentum proponens hoc: „La vie humaine est courte et la plupart des hommes l'emploient mal; ne la perdons pas comme à plaisir par de vaines inimitiés", sententiam primam („la pensée dominante") fuisse dicebat: „l'utilité de la concorde, ou pour mieux dire de la bonne entente et de l'amitié avec autrui; car Antiphon, avant Nicole, avait composé son traité sur les moyens de conserver la paix avec les hommes"; ut Duemmlerus monebat: „. . der Titel *περὶ ὁμονοίας* bezeichnet den idealen gesellschaftlichen Zustand." (Kl. Schr. I 182; cf. adn. 1.), „. . Dieser Sophist (i. e. Antiphon) scheint in seiner Schrift *περὶ ὁμονοίας* eine Art Staats- oder vielmehr Gesellschaftsideal entworfen zu haben." (Akad. 79—80), „. . . so behandelten die Bücher (sic!) *περὶ ὁμονοίας* dasselbe Thema wie der Mythus des Protagoras, die Grundbedingungen sozialer Existenz" (ib. 80, 2); ut Poehlmannus (l. l. I 118. cf. 178. 158. 167. Aus Altertum und Gegenwart p. 258), qui Duemmlerum habebat auctorem, assentientibus Gomperzio (Gr. Denker I 350 cum adn.) et Nestleio (Euripides der Dichter der griechischen Aufklärung (1901) pp. 344 sq., cf. 542 adn. 49) argumentum vernacula lingua reddebat „Ueber den Gemeinsinn" (vel „Ueber das Gemeinschaftsgefühl"), ut Wilamowitzius (l. l.) de eo agens, quod appellabat „Die politische Literatur Athens": „Sein Buch, inquiebat, will lehren, dass der *βίος*, in den der Mensch als Einzelwesen gestellt ist, roh . . ist . . . Das Übel aber ist der Egoismus . . . Also in der *ὁμόνοια*, einem Altruismus, wie die Leute jetzt sagen (bloss in barbarischer Rede, die Gedanken sind nicht klüger geworden) liegt das Heil, so kommt man zur *εὐδαιμονία*, die der Sophist seinen Schülern versprach (vit. Antiph.)[1]) Nur die geordnete menschliche Gesellschaft, der Staat kann sie geben (61/135)."

Priorum vero cogitationibus imbutus atque eruditus sibi ipse constat, vimque illam mundi universitatem et sustinere cupientem et sustinentem re vera non numen vel deum (*τὸν θεόν, δαίμονα*) dixit extra hominem agentem, sed hominum ipsorum caecum illum cogitationeque egentem impetum, quem appellabat cupiditatem vivendi („der Wille zum Leben" cf. Die Welt als Wille und Vorstellung I § 27). Quare ne corpus quidem morte interficere sed peritia voluntatem vincere suasit. Cum Antiphonte autem eo quoque convenit, quod praecepta sua dedit, cum aetate progressus iam esset.

[1]) Spengelius, qui libellum Rhamnusio dedisset, scriptum eum putabat „ad popularis formae et optimatium sectatores amice coniungendos" (l. l. p. 115).

At harum sententiarum in fragmentis ne ullum quidem deprehendimus vestigium, cum ne 61 quidem, etsi de rebus publicis agebat, concordiam suadeat, sed obtemperantiam.[2]) Et quid? eine omnino quod barbaro nomine appellatur altruismus studuisse existimes auctorem fragmentorum a nobis explicatorum? Quid? nonne contrarii illius, quod nominatur egoismus, fautor potius erat?[3]) Quid? eumne putas tanti fecisse res publicas, ut optimae civitatis exemplum proponere conaretur? Nonne hoc unum appetebat solumque, ut pro rerum harum praesenti condicione neglectis vel coniuge liberisque tranquillam, quoad liceret, suam degeret vitam privatam? Sane virorum doctorum sententiae non nituntur nisi titulo.[4]) Is vero, cum crux re vera sit interpretis,[5]) non ea tantum, qua Sauppius voluit, ratione intellegi potest.

[1]) Errore inductus vir doctus vitam Antiphontis laudabat pro capite Xenophonteo.

[2]) Ne de amicis quidem quae sunt fragmenta (cf. Croisetana) nimis facienda esse, digestione nostra supra demonstravimus.

[3]) Locus Xenophonteus ipse, quem Wilamowitzius in animo habebat, nobis contra virum doctum suffragaretur, si quidem teste eo uti liceret.

[4]) *Ὁ περὶ ὁμονοίας* plerique praebent auctores; *περὶ ὁμονοίας* Harp. fg. 68; *Ὁ περὶ τῆς ὁμονοίας* Phot. fg. 55; *Ὁ ὑπὲρ τῆς ὁμονοίας* Philostrat.

[5]) cf. Blassiana: „subobscura quaestio"; „der rätselhafte Titel"; „das Rätsel des Titels".

Nec non Blassius primum quidem vocem ὁμόνοιαν nil significare voluit, nisi quod nostra lingua interpretatus est: „eine gemeinsame Gesinnung, welche alle haben oder doch wenigstens haben sollten in Betreff des Lebens und seines rechten Gebrauchs“ (A. B. I² p. 111). Sed ut omittam vix talia valere posse vocem ipsam, paene crediderim auctorem, quem cognovimus, posuisse id, quod est „eine gemeinsame Gesinnung, die alle haben.“ Neque ipse sua retinuit vir doctus, cum nova invenisset. Nam cum Jamblichum Chalcidensem in libro, quem conscripsit, exhortativo (προτρεπτικῷ) Antiphonte sophista auctore usum esse sibi persuasisset, eiusdem Jamblichi locum e libro περὶ ὁμονοίας petitum de sophistae libro cognomini quaestioni difficiliori subvenire putavit; praesertim qui locus apud Stobaeum servaretur (ecl. II 257, 4 Wachsm.), cui eidem debemus flores illos a Blassio quoque libro de concordia attributos (Comment. etc. p. 13, A. B. III² 359—360). Quo loco cum quam latissime notione extenta significare vocem ὁμόνοια exponeretur primum quidem concordiam illam inter complures homines exstantem, deinde singulorum hominum secum ipsis consensionem, concludendum esse, „dass die Schrift sich über die für das beständige und folgerichtige Verhalten des Einzelnen massgebenden Gründe verbreitet haben wird, immerhin daneben auch über die ὁμόνοια in der Gemeinschaft, z. B. in der Ehe.“ Dielesio haec placuerunt neque dubitavit Stobaei locum ὁμονοίας fragmentis praeponere.[1]) Sed Protreptici Jamblichensis lumina, cum sophistae — ut nomine hoc utar — cuiusdam saeculi V exeuntis sint, ut ad Antiphontem libri περὶ ὁμονοίας auctorem vel librum hunc ipsum (Th. Gomperz) referantur, fieri omnino non posse evincemus. Quare vocis ὁμονοίας interpretatio Jamblichensis nil valet in hanc nostram quaestionem. Et si quidem novit Jamblichus commentationem Antiphonteam, quid obstat, ne alia ipse in sua protulerit, quibus et titu-

[1]) At tamen loco Stobaeano addidit Democritea, quae agunt de concordia cum alteris habenda.

lum adaptabat et vocis interpretationem; praesertim cum ad vocem hunc in modum intelligendam, qui post Platonem vixerit, alius libro non indigeret? Sed respexisse Chalcidensem libellum Antiphonteum concedamus. Quid? nonne tunc hanc potius argumentationem fuisse dicamus: „Secum consensione opus est; sed interdum remittenda haec consensio, ut consensio sit cum necessariis, cum amicis, cum civibus.“ Haecce quidem optime procederent. Ipse ego Jamblichi loco nondum mihi noto talia conieceram. Sed et posteriorum temporum talem argumentationem existimaveris, et requirimus in fragmentis consensionum inter necessarios, amicos, cives mentionem, quoniam fragmentum matrimonium tractans iniuria Blassius (A. B. III 360) de concordia matrimoniali agere contendit.[1])

Equidem spectari puto titulo nil nisi ὁμόνοιαν illam, quae secum ipsi habenda sit homini, quamvis huius vocis notionis apud veteriores quotquot exstant Graecos exemplum invenire non potuerim. Nimirum Antiphontem homini (σῶμα) et θυμόν et γνώμην dedisse scimus (vd. p. 49) atque hocce praecepit, ut rationi pareremus non affectui, ut ratione temperaretur animus, ne voluptatibus indulgeret, ut persequeremur, quod ratione bona nobis esse intellexissemus, relinqueremus mala, ut tranquillitatem quandam haberemus animae nulla re turbatam, nullis bellis domesticis laceratam.

Quid? hanc virtutem, σωφροσύνην solemni nomine nuncupatam, nonne ὁμόνοιαν eam appellare potuit[2]) etiam ante Platonis de anima tripertita doctrinam (cf. rep. I 128 c στασιάζοντα καὶ οὐχ ὁμονοοῦντα αὐτὸν ἑαυτῷ)? Neque opus est auctorem ipsum titulum libro indidisse; praesertim quod cum alterum quoque exstitisse intelleximus, tum numquam ὁμόνοια vox ipsa in fragmentis servatis occurrit.

[1]) Perperam igitur contulit quod alterum apud Stobaeum (flor. 74, 57) servatur fragmentum Jamblichense.

[2]) An σώφρων dicebatur, qui tentatus sese animumque compescuisset, ὁμονοίας laude afficiebatur, qui ne esset quidem tentatus?

Sed quoquo modo indicavimus, haec certe interpretatio non discrepat cum libelli ipsius argumento, quale e fragmentis effecimus, neque fragmenta haec contra ipsorum sententias interpretari nos cogit, neque lacunas statuere, quibus summa ipsa libelli interciderit.

II. De libri tempore inque Graecis litteris loco.

Libelli lineamentis atque sententiis reconstitutis, quem in litteris Graecis locum habuerit, inquirendum. Quod ut fiat, quo tempore conscriptus sit, quoad potest, primum statuamus.

De conscriptionis tempore.

Sed neque ad ullum vel factum[1]) vel tempus alluditur in frustulis nobis servatis neque cogitationum ratio, cum aetatem Anteplatonicam sapere eam intellexerimus, tempora terminis circumscribendi facultatem dat nisi satis amplis atque incertis. At ex aliis, quos certis temporibus adsignare licet, libris quibusdam comparatis non nulla effici posse confido.

De fabularum Euripidearum locis conspirantibus.

Inter quos primas habeo fabulas Euripideas. Quas non numquam cum Antiphonte convenire cum alii demonstraverunt tum Duemmlerus et in Academicorum libro et in disputatione illa ingenii atque sagacitatis plena (Prolegomena etc. = Kl. Schr. I 150 sqq.). Sed non omnia, quae huc pertinent, respexit, prudentiaque quadam minime sane vituperanda inductus, quae ratio inter utrumque intercesserit, omnino non inquisivit. Neque ultra Duemmlerum progressus est Nestleius (Euripides etc.) Apparet autem ad nostram quaestionem absolvendam non omnes locos Euripideos, quicumque similes Antiphontis vel sententias vel animos praeferant, mihi

[1]) Nam ne collatis eis, quae exposuit vir doctus Soroff (*Νόμος* und *φύσις* bei Xenophon, Herm. XXXIV 568 sqq.), Timonis famosi calamitatem spectari fg. 54 opineris, obstat narrationum ipsarum diversitas, quandoquidem, qui ab Antiphonte inducitur, homo sane non erat, qui antea sua aliis donavisset, Timoni autem thesaurus minime surreptus est. Praeterea omnis de Timone Atheniensi memoria ficta esse videtur (cf. F. Leo, Griech.-röm. Biographie pp. 114 sqq.).

esse spectandos, sed eos tantum, quos certa quadam ratione cum Antiphonteis cohaerere persuasum mihi habeam, ut alter ab altero auctor pendere videatur. Quam lubrica sit scrutatio, haud ignoro;[1]) sed ineunda, cum una sit via, quae ad finem nos ducat. Cum vero de tempore res sit, temporum ordinem, quatenus potest, sequemur.[2])

Atque Peliadum fabulae, qua a. 455 in scaenam prodeundi auspicatus est initium, verba:

(fg. 609 N²) *ὁ γὰρ ξυνὼν κακὸς μὲν ἢν τύχῃ γεγώς,*
τοιούσδε τοὺς ξυνόντας ἐκπαιδεύεται,
χρηστοὺς δὲ χρηστός· ἀλλὰ τὰς ὁμιλίας
ἐσθλὰς διώκειν, ὦ νέοι, σπουδάζετε

cum quam maxime conspirent cum eis, quae fg. 62 D. monet *ὁμονοίας* auctor, tritiora tamen sunt eaque Theognidea (vv. 31 sqq.), ut in nostram quaestionem nil referant. Quamobrem ne in similibus quidem locis morandum, qui sunt fg. 1024, fg. 1067, fg. 812 (e Phoenice), fg. 759 (ex Hypsipyla), Andromachae vv. 683 sq., fg. 7 (ex Aegeo), fg. 296 (e Bellerophonte).[3]) Neque efficere quicquam ausim e consensu fragmento 608 cum fg. 63 intercedente.

Alcestidis vero anno 438 quarto loco actae versus illi ab Admeta pronuntiati:

(874 sqq.) (*ΧΟΡ. τὸ μή ποτ' εἰσιδεῖν φιλίας ἀλόχου πρόσωπον ἄντα λυπρόν*)
ΑΔΜ. ἔμνησας ὅ μου φρένας ἥλκωσεν·
τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μεῖζον ἁμαρτεῖν
πιστῆς ἀλόχου; μήποτε γήμας
ὤφελον οἰκεῖν μετὰ τῆσδε δόμους.
ζηλῶ δ' ἀγάμους ἀτέκνους τε βροτῶν·
μία γὰρ ψυχή, τῆς ὑπεραλγεῖν
μέτριον ἄχθος·
παίδων δὲ νόσους καὶ νυμφιδίους
εὐνὰς θανάτοις κεραϊζομένας

[1]) cf. R. M. Meyer, Kriterien der Aneignung, 1907.

[2]) In temporibus fabularum statuendis inprimis Wilamowitzium sequar.

[3]) cf. Aristot. eth. m. II 11 p. 1209 b 36, eth. Eud. VII 5 p. 1239 b 22, vd. Nestle pp. 177 sqq.

οὐ τλητὸν ὁρᾶν, ἐξὸν ἀτέκνους
ἀγάμους τ' εἶναι διὰ παντός.
(ΧΟΡ. τύχα τύχα δυσπάλαιστος ἥκει
. . . .
. . . .
ΧΟΡ. . . . . συμφορὰ δ' ἑτέροις ἑτέρα
πιέζει φανεῖσα θνατῶν)

non possunt ea non coniungi cum fg. 49 Antiphonteo.[1]) Nam argumentum haud vulgare[2]) praesertim apud Graecos, quo praedicantur, qui neque uxorem habeant neque liberos, quoniam uni corpori (vel animae) consulere debeant neque doleant uxore vel liberis mortuis, hoc ipsum Antiphonteum est. Neque obstat, quod e curarum numero, quas afferre propinquos Antiphon exposuit, Euripides fabula ipsa coactus *περὶ ὑγιείας* tantum mortisque dolorem commemorabat. Uter vero auctorum ab altero pendeat manifestum esse opinor. Etenim *ἀτεκνίας* laus, cum suo loco stet in argumentatione Antiphontea, abhorret prorsus ab Admeto, ut non possimus non statuere Euripidem Antiphonteis lectis ad aliena illa proferenda perductum esse. Qua cum sententia concinit, quod *ἓν σῶμα* libenter prius dictum esse existimes quam *μία ψυχή*.

Concinit etiam alius ille fabulae locus
(238 sqq.): οὔποτε φήσω γάμον εὐφραίνειν
πλέον ἢ λυπεῖν, τοῖς τε πάροιθεν
τεκμαιρόμενος καὶ τάσδε τύχας
λεύσσων βασιλέως, ὅστις ἀρίστης
ἀμπλακὼν ἀλόχου τῆσδ' ἀβίωτον
τὸν ἔπειτα χρόνον βιοτεύσει.

Quo loco *τοῖς τε πάροιθεν τεκμαιρόμενος* alludere videtur ad matrimonii aerumnas, quas praeter summam, uxoris mortem, Antiphon enumerat, quo *οὐ πλέον ἢ* illud animum sapit Antiphontis, quo *ἀβίωτον βιοτεύσει* circum scribere videtur

[1]) Nestleius iam contulit fg. Antiphonteum (p. 509, 27a).
[2]) Quanti Graeci liberos aestimarint, ut intelligas, cf. L. Schmidt, Ethik der alten Griechen II 133 sqq., Jac. Oeri, Götter und Menschen bei Euripides (Basil. 1889) pp. 26—27, Nestle l. l. 271 sq. 254 sqq.

Antiphontis *οὐκ ἂν δυναίμην ζῆν*. Concinit quod Alcestis est *γυνὴ ἀρίστη* (vv. 83 sq.), *καταθυμία* (231. 880. 473), *νέα* (471). Quin Antiphonteis ipsis permotum esse poetam coniecerim, ut fabulam componeret de uxore carissima morte sua coniugem et liberante et dolore afficiente.

Ad Antiphontem fortasse redit etiam Pheretis v. 712: *ψυχῇ μιᾷ ζῆν, οὐ δυοῖν ὀφείλομεν*, eundemque fortasse spectat magna illa Herculis declamatio (773 sqq.), qua miseriam vilitatemque vitae ipsius, ut potando amando, dum liceat, ea fruamur, suadere exponit conclusionemque facit hisce verbis:
(799-802): ὄντας δὲ θνητοὺς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεών,
ὡς τοῖς γε σεμνοῖς καὶ συνωφρυωμένοις
ἅπασίν ἐστιν, ὥς γ' ἐμοὶ χρῆσθαι κριτῇ,
οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος, ἀλλὰ συμφορά.[1])

Nec non in ceterarum tetralogiae fabularum fragmentis vestigia Antiphontis deprehendimus; cum Cressarum fg. 463 congruat cum fg. Antiphonteo 49,[2]) Alcmeonis 78 cum eodem 49,[3]) Telephi 714 et cum hocce fragmento — vel eis, quae ex eo effecimus — et cum titulo *τέχνη ἀλυπίας*.

Quo tempore igitur tetralogiam componeret, sententias Antiphonteas iam cognitas habuisse Euripidem, libellum ergo Antiphonteum iam evulgatum fuisse concludendum.[4]) Et cum nova neque vetusta poetam tangere verisimile sit, haud abhorret a probabilitate libellum non multum ante fabulas actas, i. e. non multo ante a. 438 initium conscriptum esse.

Inter ea autem, quae servata sunt Aegei, Thesei, Hippolyti prioris, trilogiae si recta posuit de Wilamowitz (Eur.

[1]) cf. Nestle p. 502, 37; qui conferebat Herod. I 32, VII 49.
[2]) cf. etiam fg. 462 cum Antiphontis fg. 64.
[3]) Cum Stobaeus non adiecerit nisi *Εὐριπίδου Ἀλκμέωνος*, utrum Alcmeoni in Psophide an Alcmeoni in Corintho attribuendum sit fragmentum, in ambiguo relinquendum; conspiratio fortasse suffragetur illi.
[4]) Fortasse Euripidem sententias Antiphonteas non iam legisse, sed ab auctore ipso audisse obicias; sed quoniam Antiphon declamationes vix habuit, non potuit nisi colloquio vel colloquiis habitis. Et exstiterunt tamen iam tum sententiae, quae scriptae postea edebantur.

Hipp. praef.) ante Medeam actae, non repperi, quae Antiphontem revocent.

Contra Medea ipsa plura praebet exempla, quibus poetam libri Antiphontei haud expertem fuisse luce clarius demonstretur. Ita Antiphontis imitationem apertissimam esse puto in stasimo illo V

(1090 sqq.): *καί φημι βροτῶν οἵτινές εἰσιν*
πάμπαν ἄπειροι μηδ' ἐφύτευσαν
παῖδας, προφέρειν εἰς εὐτυχίαν
τῶν γειναμένων.
οἱ μὲν ἄτεκνοι δι' ἀπειροσύνην
εἴθ' ἡδὺ βροτοῖς εἴτ' ἀνιαρὸν
παῖδες τελέθουσ' οὐχὶ τυχόντες
πολλῶν μόχθων ἀπέχονται·
οἷσι δὲ τέκνων ἔστιν ἐν οἴκοις
γλυκερὸν βλάστημ', ἐσορῶ μελέτῃ
κατατρυχομένους τὸν ἅπαντα χρόνον·
πρῶτον μὲν ὅπως θρέψουσι καλῶς
βίοτόν θ' ὁπόθεν λείψουσι τέκνοις·
ἔτι δ' ἐκ τούτων εἴτ' ἐπὶ φλαύροις
εἴτ' ἐπὶ χρηστοῖς
μοχθοῦσι, τόδ' ἐστὶν ἄδηλον.
ἓν δὲ τὸ πάντων λοίσθιον ἤδη
πᾶσιν κατερῶ θνητοῖσι κακόν·
καὶ δὴ γὰρ ἅλις βίοτόν θ' εὗρον
σῶμά τ' ἐς ἥβην ἤλυθε τέκνων
χρηστοί τ' ἐγένοντ'· εἰ δὲ κυρήσει
δαίμων οὗτος, φροῦδος ἐς Ἅιδην
θάνατος προφέρων σώματα τέκνων.
πῶς οὖν λύει πρὸς τοῖς ἄλλοις
τήνδ' ἔτι λύπην ἀνιαροτάτην
παίδων ἕνεκεν
θνητοῖσι θεοὺς ἐπιβάλλειν;

Repugnat sane sententia vulgari veterum existimationi, quippe qui deorum donum exoptatissimum liberos habuerint.[1])

[1]) vd. supra ad Alcestidem.

Non igitur dicendus est locus communis. Neque vatis legimus carmen sublime, sed declamationem frigidissimam philosophi vel sophistae;[1]) et ne lyrica quidem metra sunt, sed nil nisi anapaesti versus *παρακαταλογάδην*, ut nominant, dicti. Praeterea abhorrent prorsus sententiae a fabulae loco. Etenim, cum Medea, quos summo amore amaverat, liberos ipsa interficere decrevisset, non erat, cur chorus dolores illos atque curas exponeret, quos parentibus praeberent liberi, cum magnis laboribus educati decederent; immo debebat demonstrare Veneris contemptae ira superari vel caritatem inque liberos amorem, debebat misereri liberorum moriturorum, misereri matris, quae, cum ipsa necaret liberos suos, laborum mercedem nullam reciperet. Accedit, quod harmonia, ut ita dicam, sermonis dissonat quasi a versibus et antecedentibus et sequentibus. Quibus perpensis equidem mihi persuasi ad hocce stasimon componendum Euripidem fabulae argumento permotum non esse.

Atque accuratius inspiciamus versus. Praedicantur, qui liberis non partis nescirent, utrum dulce quiddam sint liberi an molestum. Nam vacare eos laboribus et cura (*μόχθος, μελέτη*), quibus usque terantur, qui peperint suavem quamvis prolem (*γλυκερὸν βλάστημα*). Nam curandum, ut et educentur liberaliter (*καλῶς τρέφειν*) et nutriantur (*βίοτος*). Et si quam optime culti sint, fieri tamen posse, ut non probi (*χρηστοί*) sed nequiores (*φλαῦροι*) evadant. Ac quod summus sit dolor, cum et victus, qui sufficiat, comparatus sit et liberi cum ad aetatis florem tum ad probitatem virtutemque pervenerint, tunc, si Fortunae (*δαίμων*) placeat, in Tartarum carissimos mortem surripere. Miramur sane, quod nulla fit mentio separationis parentum liberorumque illius, quae existit exilio, utpote quod pro fabulae argumento exspectemus. Quae vero legimus, eandem praebent argumentationis rationem, quam in disputatione de matrimonii laboribus adhibebat Antiphon;

[1]) cf. Wilamowitzii in conversionem Germanicam praefationem: „... bis ins Triviale versinkend (am schlimmsten, wo der Chor abwägt, ob Kinder ein Segen wären oder nicht) . . .“

quin qualia poeta profert, talia ipsa philosophum exposuisse concluderemus necesse erat (vd. supra pg. 28).[1] Quae cum ita sint, me quidem iudice dubium non relinquitur, quin Antiphonteae disputationis notitia, ut sua pangeret, hoc quoque loco inductus sit Euripides.

Eadem valent in vv. 230 sqq. Ubi Euripides mulierum fortunam miseram describens mulierum vitam eodem modo vituperat, quo modo Antiphon, qui feminas omnino neglegeret, vituperaverat virorum. Atque enumerat quidem sicut ille singula mala alia aliis usque maiora.[2] Primum enim dote insuper data non sociam suavem sed tyrannum sibi emere mulierem,[3] deinde re vera subeundum non solum magnum, sed maximum, de quo omnia pendeant, certamen,[4] nimirum non solum utrum gratam an ingratam sociam accipiat, sed utrum dominum probum an malum. Nam mulieri non solum non honestum esse divortium facere cum marito, sed ne repudiare quidem quemquam licere. Difficillimum autem esse ut pro rerum atque consuetudinum novitate placere marito;[5] si vero quamvis omnibus a muliere rebus magnis cum laboribus peractis invitus tamen coniugium ferat maritus, mortem iucundiorem esse quam talem vitam.[6] Nam viro propinquorum usu satiato atque pertaeso, ut alios adeat, patere,

[1]) In minutiis quoque Euripidea cum Antiphonteis conspirant. E quibus, cum locum ipsum exscripserim, praeter singulas voces memoravisse satis sit dei vel fortunae (*δαίμων*) potestatem et enuntiatum illud primarium *καὶ δὴ καὶ ἄλις κτἑ.* pro secundario *εἰ δὲ καὶ κτἑ.* positum (cf. Antiphontis *φέρε δὴ καὶ κτἑ.*)

[2]) cf. 232 *ἃς πρῶτα μὲν δεῖ . . .* 234 *κακοῦ γὰρ τοῦτό γ' ἄλγιον κακόν.*

[3]) *ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ | πόσιν πρίασθαι δεσπότην τε σώματος.*

[4]) *κἀν τῷδ' ἀγὼν μέγιστος, ἢ κακὸν λαβεῖν | ἢ χρηστόν.* cf. Antiph. *μέγας γὰρ ἀγὼν γάμος ἀνθρώπῳ.*

[5]) *οὐ γὰρ εὐκλεεῖς ἀπαλλαγαὶ | γυναιξίν, οὐδ' οἷόν τ' ἀνήνασθαι πόσιν. | εἰς καινὰ δ' ἤθη καὶ νόμους ἀφιγμένην | δεῖ μάντιν εἶναι, μὴ μαθοῦσαν οἴκοθεν, | ὅπως* (*ὅπως* cum Meinekio legendum) *μάλιστα χρήσεται συνευνέτῃ.*

[6]) *κἂν μὲν τάδ' ἡμῖν ἐκπονουμέναισιν εὖ | πόσις ξυνοικῇ μὴ βίᾳ φέρων ζυγόν, | ζηλωτὸς αἰών· εἰ δὲ μή, θανεῖν χρεών.* cf. Antiph. *δεινὸν κτἑ.*

mulierem non habere respectum nisi ad unum maritum.[1] Pugnae autem laborem superari pariendi.[2] Spectantur his argumenta in Antiphontis fg. 49 adhuc servata.[3] Neque audaciora conicere mihi videor, si Antiphonteis ipsis peritioribus scl. pernotis sua opponere voluisse opinor tragicum, quippe quibus, ut studuit iam pridem feminarum et ingeniis et fortunis, feminis miseriorem etiam vitam degendam esse demonstraret, quam viris ab Antiphonte solis respectis.[4]

Reliqua similitudinum exempla quam brevissime cum locis Antiphonteis composuisse me contineo. Conferas igitur ipse vv. 366 cum fg. 49, 560 cum 64a, 573 cum 49, 966 (*κείνης ὁ δαίμων* = ihr hilft das Glück) cum 49 et 54 sub. fin., 1079—1080 (*θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων | ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς* cf. fg. 840, 841, Hipp. 379) cum 58.[5]

De uno vel altero loco forte ambiges. Neque tamen negabis e libelli Antiphontei sententiis, si non cum Alcestidem, at tamen cum Medeam conscriberet, Euripidi non nullas notas fuisse, et mecum facies, si non post annum 431 libellum prodiisse pono.

[1]) *ἀνὴρ δ' ὅταν τοῖς ἔνδον ἄχθηται ξυνών, | ἔξω μολὼν ἔπαυσε καρδίαν ἄσης, | [ἢ πρὸς φίλον τιν' ἢ πρὸς ἥλικας τραπείς·] | ἡμῖν δ' ἀνάγκη πρὸς μίαν ψυχὴν βλέπειν.*

[2]) *λέγουσι δ' ἡμᾶς ὡς ἀκίνδυνον βίον | ζῶμεν κατ' οἴκους, οἱ δὲ μάρνανται δορί· | κακῶς φρονοῦντες· ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα | στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον ἢ τεκεῖν ἅπαξ.*

[3]) U. de Wilamowitz (Herm. XV 515) *φέρε δὴ* Antiphontis ad Euripidea illustranda iam attulit, Duemmleri sagacitas (Kl. Schr. I 178, 1) Antiphontem forte auctorem esse suspicatus est. Nil habent Wecklein (ad l.), de Arnim (ad l.), Nestle.

[4]) cf. alios quoque fabulae locos, quibus, quanti fuerint poetae mulieres, dilucide demonstratur, praesertim vv. 410 sqq. Neque ideo facio cum Dielesio[2], qui ad fg. 49 verba *μέγας γὰρ ἀγὼν κτἑ.* adnotabat: „Für das letzte ist die Quelle vielmehr Eurip. Med. 235 (nicht umgekehrt wie Dümmler Akad. 171)."

[5]) Totus Medeae monologus exemplum quasi praebet hominis, qui *ἰὼν ἐπὶ τὸν πλησίον κακῶς ποιήσων οὐκ ὀκνεῖ.* — Nota praeterea novae disciplinae scientiaeque laudem atque gloriam (praes. vv. 1291 sqq., 824 sqq.) ab Antiphonte prorsus abhorrentem.

Quantum igitur ad libelli tempus, non est, cur ceteras quoque fabulas Euripideas perscrutemur; at tamen opus simul inceptum ad finem perducamus, quo opere et, quid in universum apud poetam, cui notum eum fuisse nunc constat, libelli *περὶ ὁμονοίας* auctor valuerit, statuamus et huius commentationem ex vestigiis in illius scriptis obviam factis, si potest, suppleamur. Pergamus igitur in fabulis examinandis.

Quae vero una cum Medea agebantur fabulae, Dictys, Philocteta, Theristae,[1]) omnino nil suppeditant. Andromachae autem vv. 636 sqq. comparari possunt cum Antiphontis fg. 60, vv. 818—819 cum 64, Cresphontae fg. 449,[2]) nec non Heraclidarum vv. 593 sqq. (cf. v. 865) cum fgg. 50 sqq., eiusdem fabulae vv. 707—708 cum Antiphontis enuntiato *ἀναθέσθαι τὸν βίον οὐκ ἔστιν* (fg. 52); sed incertiora haec puto.

At Antiphontea eaque cum Medeae vv. 1098 sqq. mire conspirantia profert locus ille, quem sine fabulae nomine a Clemente Alexandrino laudatum Welckerus e Cresphonte petitum esse coniecit

(fg. 908): *τὸ μὴ γενέσθαι κρεῖσσον ἢ φῦναι βροτούς.*
ἔπειτα παῖδας σὺν πικραῖς ἀλγηδόσι
τίκτω· τεκοῦσα δ' ἢν μὲν ἄφρονας τέκω,
στένω ματαίως, εἰσορῶσα μὲν κακούς,
χρηστοὺς δ' ἀπολλῦσ'· ἢν δὲ καὶ σεσῳσμένους,
τήκω τάλαιναν καρδίαν ὀρρωδίᾳ.
τί τοῦτο δὴ τὸ χρηστόν; οὐκ ἀρκεῖ μίαν
ψυχὴν ἀλύειν κἀπὶ τῇδ' ἔχειν πόνους;

ubi denuo de muliere agi bene observes tamquam de re illa apud Antiphontem habita, neque de eo, quod est *σῶμα ἕν*, sed *ψυχὴ μία*.

Adiungas libenter Hippolyti coronati, quem anno 428 in scaenam venisse constat,

[1]) Fabula haec satyrica Alexandrinorum aetate iam non existebat.

[2]) Ad Herodotum forte redeunt versus. cf. Nestlei p. 242 cum Wilamowitzi Her.[1] I 31, 56 et Duemmleri Kl. Schr. I 212, 1.

vv. 252 sqq.: *πολλὰ διδάσκει μ' ὁ πολὺς βίοτος.*
χρῆν γὰρ μετρίας εἰς ἀλλήλους
φιλίας θνητοὺς ἀνακίρνασθαι
καὶ μὴ πρὸς ἄκρον μυελὸν ψυχῆς,
εὔλυτα δ' εἶναι στέργηθρα φρενῶν
ἀπό τ' ὤσασθαι καὶ ξυντεῖναι.
τὸ δ' ὑπὲρ δισσῶν μίαν ὠδίνειν
ψυχὴν χαλεπὸν βάρος, ὡς κἀγὼ
τῆσδ' ὑπεραλγῶ.
βιότου δ' ἀτρεκεῖς ἐπιτηδεύσεις
φασὶ σφάλλειν πλέον ἢ τέρπειν
τῇ θ' ὑγιείᾳ μᾶλλον πολεμεῖν.
οὕτω τὸ λίαν ἧσσον ἐπαινῶ
τοῦ μηδὲν ἄγαν·
καὶ συμφήσουσι σοφοί μοι.

Etenim non solum *τὸ δ' ὑπὲρ δισσῶν μίαν ὠδίνειν ψυχήν* repetunt, quae et in Alcestide (v. 880) et in fg. mox allato ex Antiphonte (fg. 49) fluxisse cognovimus, sed etiam tota sententia in philosophi ingenium quadrat, *μετριότητα* et *σωφροσύνην* tranquillitatis animae conservatrices semper spectantis repudiantisque voluptates, quibus subsequerentur dolores. Quin talia, qualia legimus *βιότου κτέ.*, apud Antiphontem olim stetisse existimaverim, quam disputationem sese laudare Euripides verbo *φασίν* (et *καὶ συμφήσουσι σοφοί μοι*) significaverit.[1]) De versibus autem 1104 sqq. (praes. 1111 sq.) certi nil audeo statuere, quamvis similia nisi eadem Antiphontem quoque, si quidem deum oravit, precatum sibi esse necesse sit. Hippolyti vero mulierum vituperatio (vv. 616 sqq.) abhorret prorsus ab Antiphontis; verba autem 189 sq. vulgariora sunt, quam ut conclusionem facere sinant.

Hecubae, quam fabulam cum magistro meo Jacobo Oeri (Philol. 1907, 287 sqq.) libentissime in annum 426 relegaverim, verbum

[1]) Wilamowitzius (ad l.) de proverbio quodam cogitabat. — Cum *σφάλλειν* Euripideo conferas glossam Antiphonteam *φηλώματα* (71=119).

(vv. 627/8): *κεῖνος ὀλβιώτατος,*
ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν —

ex Antiphontis animo dictum est.

(vv. 592 sqq.): *οὔκουν δεινόν, εἰ γῆ μὲν κακὴ*
τυχοῦσα καιροῦ θεόθεν εὖ στάχυν φέρει,
χρηστὴ δ' ἁμαρτοῦσ' ὧν χρεὼν αὐτὴν τυχεῖν
κακὸν δίδωσι καρπόν; ἄνθρωποι δ' ἀεὶ
ὁ μὲν πονηρὸς οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός,
ὁ δ' ἐσθλὸς οὐδὲ συμφορᾶς ὕπο
φύσιν διέφθειρ', ἀλλὰ χρηστός ἐστ' ἀεί;
ἆρ' οἱ τεκόντες διαφέρουσιν ἢ τροφαί;
ἔχει γε μέντοι καὶ τὸ θρεφθῆναι καλῶς
δίδαξιν ἐσθλοῦ —

forte eiusdem fg. 60 spectant.[1]) Neque tamen nego lubrica haec esse; praesertim cum institutionis homini praebitae cum semine terrae ingesto comparatio eadem etiam alibi obviam fiat.[2])

E ceteris, quae ante annum 425 actae esse videntur, fabulis Phaethontis et Oenei fragmenta cum Antiphonteis conferenda non continent; Thyestae 391 et 392 ut similia, ita paene ab Antiphonte pendentia de vitae aerumnositate pronuntiant, Inus 402 similia de uxoris ducendae discrimine, 417 de stultitia, qua plura appetentes quae habeamus omittamus; Bellerophontis 291 tempus optimum magistrum esse ponit, 286 autem, quam diversa Euripides de deis iudicaverit atque Antiphon, maior scl. natu, felicissime docet;[3]) Phoenicis denique 805 senectutem perstringit cum Antiphonte, 808 (cf. 804. 807) mulieres, 810 autem denuo naturae potentiam explicat, 812 contra cum Antiphonte congruentia exponit de usus consuetudinisque in mores vi, ut huius quidem fabulae dialogo quodam oppositas olim fuisse sententias illas et Euripideam et Antiphonteam, quam nominaverim, conieceris.[4]) Ex eis autem fabulis, quae annis posterioribus

---

1) cf. Duemmler p. 176, Nestle p. 180 cum adn. 29 (p. 477).

2) cf. Hippocr. *Νόμος* cap. 3, vd. Nestle l. l.

3) cf. Nestle pp. 130, 246.

4) cf. etiam 813 de divitiis vitaque aerumnas continente, 816 de mortalium vivendi cupidine, 809 de eis, qui sunt *πεῖραν οὐ δεδωκότες σοφοί.*

prodisse verisimile est, Melanippae captivae 502 et 497, quam difficile fuerit divortium, probant, 503 et 504 id, quod est *τὸ μέτριον*, commendant, 509 de senum caducitate agit. Oedipodis 543 de liberis uxoreque viri tyrannis, Stheneboeae 661 de vitae miseritate ut notabilia, ita ab Antiphonte non nihil differentia profert. Ionis versu 632 Ion *μέτρια μὴ λυπουμένῳ* sibi optat. Aeoli fg. 25 denuo de senum caducitate, 26 de Venere et suavia et amara afferente, 31[1]) de ira fraudatrice fere Antiphontea suppeditantur, Andromachae v. 636 humi natura res humanas illustratur, v. 818 veteribus amicis plus valere novos statuitur; in Erechthei fragmenta conspirantia nulla iuveni. Sed ne alii quidem loci tantopere congruunt, ut Antiphontem Euripidis auctorem fuisse probare possint.

E Supplicibus vero, quam fabulam a. 421 actam subicio, permulta iam cum Antiphonteis contulerunt viri docti. Dubitaverunt tamen, an ad sophistam, quem appellabant, non redirent.[2]) At cum vv. 83 sqq. cum Antiphontis fg. 49, 269—270 cum eodem, 479 sq. cum 58, 509 sq. cum eodem, 531 cum 50[3]) concinentes suo Marte pepigisse potest, qui haud trita pronuntiant

vv. 549 sqq.: *ἀλλ' ὦ μάταιοι, γνῶτε τἀνθρώπων κακά·*
παλαίσμαθ' ἡμῶν ὁ βίος· εὐτυχοῦσι δὲ
οἳ μὲν τάχ', οἳ δ' ἐσαῦθις, οἳ δ' ἤδη βροτῶν.
τρυφᾷ δ' ὁ δαίμων· πρός τε γὰρ τοῦ δυστυχοῦς,
ὡς εὐμενὴς ᾖ, τίμιος γεραίρεται,
ὅ τ' ὄλβιός νιν πνεῦμα δειμαίνων λιπεῖν
ὑψηλὸν αἴρει —

cum fg. 54 fine,

786 sqq.: *ἄγαμόν μ' ἔτι δεῦρ' ἀεὶ*
χρόνος παλαιὸς πατὴρ
ὤφελ' ἁμερᾶν κτίσαι.

---

1) *ὀργῇ γὰρ ὅστις εὐθέως χαρίζεται, | κακῶς τελευτᾷ· πλεῖστα γὰρ σφάλλει βροτούς.*

2) cf. Duemmler pp. 173 sqq.

3) cf. Duemmler p. 162.

τί γάρ μ' ἔδει παίδων;
τί μὲν γὰρ ἤλπιζον ἂν πεπονθέναι
πάθος περισσόν, εἰ γάμων ἀποζύγην;
νῦν δ' ὁρῶ σαφέστατον
κακόν, τέκνων φιλτάτων στερεῖσθαι —

cum fg. 49,

913 sqq.: ἡ δ' εὐανδρία
διδακτός, εἴπερ καὶ βρέφος διδάσκεται
λέγειν ἀκούειν θ' ὧν μάθησιν οὐκ ἔχει.
ἃ δ' ἂν μάθῃ τις, ταῦτα σῴζεσθαι φιλεῖ
πρὸς γῆρας. οὕτω παῖδας εὖ παιδεύετε —

cum fg. 60,[1])

949 sqq.: ὦ ταλαίπωροι βροτῶν
τί κτᾶσθε λόγχας καὶ κατ' ἀλλήλων φόνους
τίθεσθε; παύσασθ', ἀλλὰ λήξαντες πόνων
ἄστη φυλάσσεθ' ἥσυχοι μεθ' ἡσύχων.
σμικρὸν τὸ χρῆμα τοῦ βίου· τοῦτον δὲ χρὴ
ὡς ῥᾷστα καὶ μὴ σὺν πόνοις διεκπερᾶν —

cum fg. 51,[2])

1080 sqq.: οἴμοι· τί δὴ βροτοῖσιν οὐκ ἔστιν τόδε,
νέους δὶς εἶναι καὶ γέροντας αὖ πάλιν;
ἀλλ' ἐν νόμοις μὲν ἤν τι μὴ καλῶς ἔχῃ,
γνώμαισιν ὑστέραισιν ἐξορθούμεθα,
αἰῶνα δ' οὐκ ἔξεστιν. εἰ δ' ἦμεν νέοι
δὶς καὶ γέροντες, εἴ τις ἐξημάρτανε,
διπλοῦ βίου τυχόντες ἐξωρθούμεθ' ἄν.
ἐγὼ γὰρ ἄλλους εἰσορῶν τεκνουμένους
παίδων τ' ἐραστὴς ἦ πόθῳ τ' ἀπωλλύμην.
εἰ δ' εἰς τόδ' ἦλθον κἀξεπειράθην * *
οἷον στέρεσθαι πατέρα γίγνεται τέκνων,
οὐκ ἄν ποτ' εἰς τόδ' ἦλθον εἰς ὃ νῦν κακόν·
ὅστις φυτεύσας καὶ νεανίαν τεκὼν
ἄριστον, εἶτα τοῦδε νῦν στερίσκομαι

1) cf. Duemmler pp. 172, 175

2) cf. Duemmler p. 165 (cf. Antiop. fr. 196, Suppl. v. 734).

cum 52 et 49[1]) tantopere conspirant, ut vix fieri posse arbitror, quin Antiphontea in animo habuerit. Quin vv. 1080 sqq. nostram Antiphonteorum interpretationem opportunissime confirmare puto.

Itaque ne dubito quidem, quin vv. 195 sqq. ad Antiphontem ipsum respectum habuerint. Ubi enim cum legamus:

ἔλεξε γάρ τις ὡς τὰ χείρονα
πλείω βροτοῖσίν ἐστι τῶν ἀμεινόνων,

certi cuiusdam viri sententiam in animo habuisse poetam apparet; praesertim cum tota, quae subsequitur, disputatio quam minime apta sit fabulae loco.[2]) Quem virum Prodicum Ceum nominare non dubitabant.[3]) At Axiochi dialogi — post Platonis certe tempus conscripti[4]) — Prodicea, quibus solis sententia nititur, alteri cum Welckero vera quaedam continere existimant (Zeller, Buresch, Duemmler, Gomperz, Immisch, Joël), alteri ficta esse dicunt (Heinze, Rohde, Feddersen, de Wilamowitz, Brinkmann), notandaque Dielesi, testis haud neglegendi, adnotatio (Vors.[1] p. 541,9): „Die weitere Ausführung ist wahrscheinlich nicht aus Prodikos, denn der Inhalt ist modern und das Citat 369 B *ἤκουσα δέ ποτε καὶ τοῦ Προδίκου λέγοντος, ὅτι ὁ θάνατος οὔτε περὶ τὰς ζῶντάς ἐστιν οὔτε περὶ τοὺς μετηλλαχότας κτλ.* stimmt mit Epikur ep. 3, 125 p. 61, 5 Us. Der Pessimismus wird ihm vielleicht nur als Vertreter keischer Lebensanschauung (Strab. X 6 p. 488, Menand. fg. 613 K. cf. Welcker Rh. M. I 614 ff.) zugeschrieben.“ Contra ab Antiphonte vitam ut mala plura quam bona hominibus praebentem vituperatam esse pro certo scimus. Et optime Antiphonteis a nobis restitutis responderet, quae sequitur inde a versu 197 contra talem vituperationem apologia. Quae, cum cui auctori debeatur, hoc loco non quaeram, si quidem non sua ipsius profitebatur Euripides, ad eundem

1) cf. Duemmler p. 175.

2) cf. Duemmler p. 171, Nestle pp. 65. 423, 41.

3) Welcker Prodikos von Keos (Kl. Schr. II) p. 509, Bergk Gr. L. G. III p. 473, 26, Duemmler Akad. pp. 279 sqq., Gomperz Griech. Denker I 334, Nestle pp. 66. 424, 22.

4) cf. Joël II 155 adn. 1.

atque vituperatio fontem referri non potest.[1]) Aliena igitur dicenda est ab Antiphonte atque cum ea non solum „die hauptsächlichsten politischen Erörterungen“, quas nominabat Duemmlerus (Kl. Schr. 177), sed etiam quaecumque et de concordiae (id. 182, 1) et de eius, quod est *νόμος*, praestantia (id. 175, Nestle 304, 73) exponuntur. Quoniam talia in libro quidem *περὶ ὁμονοίας* infuisse neque titulus neque fg. 61, quae advocabat Duemmlerus, probat, vetat auctoris animus atque ingenium.[2])

Ex Heracle post Supplices composito (cf. Wilamowitziana) attulisse satis habeo vv. 90 et 105, quibus spes ab Antiphonte vituperata laudatur, vv. 503 sqq. libri *περὶ ὁμονοίας* sententiam quasi complectentes (cf. Antiop. fg. 196, Supplic. v. 950) vv. 655 cum Supplicum vv. 1080 sqq. et Alcestidis v. 712 conspirantes.[3]) Convenientias non magni habeo momenti; pluris aestimo discrepantias. Etenim hoc est fabulae intimum consilium, ut pro hacce vitae miseria atque debilitate neque voluptatibus indulgere neque mortem sibi consciscere probi viri esse demonstret, sed sustinere et perferre molestias et dolores. Progreditur poeta ita ultra Supplices quam praebebant in res publicas fiduciam Iphidisque desperantiam, progreditur ultra Antiphontem. Nimirum iam non beatitudinem modumve quendam tranquille vivendi sectatur, sed unam spectat virtutem Fortunae non servientem.

[1]) cf. Nestle p. 67 contra Duemmleri pp. 279 sq.

[2]) Stanislaus Schneider adstipulatus et Blassio, qui fragmenta illa apud Jamblichum servata ex Antiphontis Veritate petita esse coniciebat, praesertim cum discreparent prorsus cum Gomperzi de libro *περὶ ὁμονοίας* iudicio, et Duemmlero, qui ab Euripide tractatum quendam de rebus civilibus („sozial-politisch“) similia atque Antiphontea praebentem adhibitum esse suspicabatur, cum Spengelio Antiphonti sophistae Veritate sola tributa, Concordia ad oratorem relata, librum illum eundem cum fontem fuisse et Jamblichi et Euripidis statuit, praesertim quod conspirarent cum Jamblicheis Suppl. vv. 312 sqq. et 429 sqq., tum praebuisse, quae Suppl. vv. 954 sq., Hercul. vv. 502 sqq., Antiop. fg. 196 responderent Antiphontea. Cuius sententiae, quae superioribus iam redarguta non sunt, redarguentur inferioribus.

[3]) De vv. 1341 sqq., cum librum, qui inscribebatur *Ἀλήθεια*, tractabimus, agemus.

Aequalium fere Heraclis fabularum Pelei, Plisthenis, Meleagri reliquiae, quae ad nos pertineant, nulla suppeditant, nisi quod huius 532, 533, 533 Graecorum vitae aestimationem quasi genuinam aptissime pronuntiant. Neque e tetralogia illa a. 415 acta laudanda habeo nisi Alexandri fg. 47, Troadum vv. 1008—1009, 1201, similia proferentia Antiphontis. Neque in Augae fg. 271 vel 273 vel 276 vel 277 morandum neque in Polyidi 637 vel 638. In Electra (a. 413) autem, Andromeda (a. 412), Helena (a. 412), Danaa,[1]) Melanippa sapienti (ante a. 411), Iphigenia Taurica,[2]) Hypsipyla, Phoenissis,[3]) Chrysippo, Ixione comparanda omnino non inveniuntur. Oenomai vero cum Phoenissis, ut videtur, et Chrysippo una acti fg. 571 cum fg. 49 (cf. Suppl. 1087, Alc. 1090 sqq.), fg. 575 cum fg. 66 conferenda. 576 et 572, quae germana in illius libro sine dubio olim habebant, Antiphonteis ipsis re vera vix debentur, quippe cum poeta similia iam antea pronuntiarit. Et eadem de Antiopae, cuius lineamenta revocavit Henricus Weil (Etudes sur le drame antique pp. 213—246) dicenda sunt fgg. 193 (cf. Antiphont. fgg. 53, 53a, 49), 194 (cf. ead.), 196 (cf. 51), 197 (cf. id.), 198 (cf. 54, 53, 53a),[4]) 208 (cf. 58), 213 (cf. 49);[5]) nec non Orestis (a. 408) loci similes

[1]) Notanda sunt, quae abhorrent ab Antiphonte, fgg. 316 et 317.

[2]) Nota, qui discrepant, vv. 114—115.

[3]) Non puto ad Antiphontem redire, quae Iocasta contra Eteoclis superbiam de continentia monet (vv. 528 sqq.); v. 965 Graecorum in infantes amorem denuo demonstrat; v. 1162 *δαίμων* laudatur.

[4]) *εἰ δ' εὐτυχῶν τις καὶ βίον κεκτημένος | μηδὲν δόμοισι τῶν καλῶν πειράσεται, | ἐγὼ μὲν οὔποτ' αὐτὸν ὄλβιον καλῶ | φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαίμονα.* Qui locus neque emendandus (cf. Nestle 540, 42. 401, 119. 500, 7) neque cum Nestleio (ll. ll.) vel Burckhardtio (Gr. K.-G. II 367) interpretandus, sed ita vertendus est: „Wer in guten Verhältnissen lebt, sich aber nichts von den Schönheiten des Lebens gönnt, der ist nicht glücklich, sondern nur ein vom Glück begünstigter Geldwächter, i. e. einer der die Chance gehabt hat, als Wächter über vieles gesetzt worden zu sein“ (Vulgarius sententiam reddiderim: „Er ist nicht Bankier, sondern nur Abwart bei einem grossen Bankhause.“).

[5]) Duemmlerus Akad. p. 161 adnotabat: „Wenn unser Material nicht ausreichte, um in Euripides Antiope den Standpunkt des Zethos

(1 sqq., 543—543, 602—604, 794) aut tritiores sunt aut non satis congruentes, nec non Iphigeniae Aulidensis (160, 560, 916 sq., 918 sqq., 1250—1252 (cf. 1218—1219), 1330), vel Baccharum (389 sqq., 395 sqq., 907 sqq. (cf. Hec. 627), 1002 sqq.[1]). Archelai autem fragmenta omittere nolo, non quod Antiphontem spectare quodquam putem, sed quod illius desperantiae novam quasi fidem quandam atque fiduciam opponunt (cf. 233, 237, 238, 239, 240, 262). Reliquas fabulas non est omnino cur laudem.[2])

De tempore complexio.

Ex certis igitur, quae effecimus, apparet Euripidem Antiphontis vestigia pressisse et annis 438 et 431 et denuo anno 421; Antiphontis igitur libellum prodisse ante annum 438. Neque multo ante hunc terminum verisimile esse iam posuimus. Firmari autem potest sententia certo testimonio. Etenim, quae legimus *ἀναρχίας δ' οὐδὲν κάκιον ἀνθρώποις* (fg. 61), eis auctorem, quem poetis citandis non supersedisse intelleximus, Sophoclis Antigonae, quae acta est a. 442, versum 672 *ἀναρχίας δὲ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν* laudare manifestum est.[3])

als den des Sophisten Antiphon zu erweisen, so können wir mit grösserer Bestimmtheit in der Lebensweisheit des Amphion die Philosophie des Prodikos erblicken.“ Sed (cf. quae post Weilium et Weckleinum complectebatur Nestle pp. 35—36), Zethus contraria ipsa Antiphonti protulisse, Amphion potius conspirasse videtur.

[1]) *γνώμαν σώφρον', ἃ θνατοῖς ἀπροφάσιστος / εἰς τὰ θεῶν ἔφυ, / βροτείαν τ' ἔχειν ἄλυπος βίος. / τὸ σοφὸν οὐ φθονῶ.*

[2]) Comparaveris forte de mulieris aestimatione Antigonae fg. 164 (cf. Nestle 250, 6), Protesilai 657 (cf. fgg. inc. 1056 et 1057), de vita aestimatione Phrixi fg. 833 (= Polyidi celeberrimum 842), de liberis Alcmenae fg. 103 et contraria ipsa Rhesi vv. 980 sqq., de divitiis Alcmenae fg. 96, de labore laudis patre Licymnii fg. 474, de audacia Temeni 745. Adicio eis quae incertarum sunt fabularum — ut quaestioni nostrae nil suppeditent — fragmenta: 966, 1027, 1068, 1070, 1075, 1076, 1079, 1080. Etiam fg. 964 ad Antiphontem forte redit; neque tamen est, cur liber fuerit consolatorius (cf. Duemmler Kl. Schr. I 178, 1, Nestle 501, 27).

[3]) Dielesius quoque in ed. II locum Antiphonteum ad Sophocleum referebat. Sophoclea vero quae sequuntur ad illustrandam sententiam Antiphonteam adhibere non licet.

Simul concludere nos licet libellum, qui et laudarit Atheniensem et ab Atheniensi laudatus sit, nec non sermonem proferat Atticum, ab auctore Athenis, si non nato, at tamen morato scriptum esse Athenis.

Quae si recte posuimus, non veterior solum, quam vulgo cum capite Xenophonteo tum libelli auctorisque contemptione inducti putabant,[1]) sed veterrimus omnino omnium est, quoscumque libellos oratione soluta in Minervae urbe conscriptos esse scimus.

De loco in Graecis litteris libro assignando.

Sed obicis, num oratio soluta ad talia tali modo exprimenda exculta iam exstiterit tunc temporis Athenis; quippe quam natam non esse dicant nisi post Gorgiae a. 427 adventum. At Athenis ante Gorgiam Thrasymachum eloquentiam docuisse Eduardus Schwartz demonstravit, Athenis sine arte quaquam vel disciplina, quam solam respexisset Aristoteles,[2]) rerum ipsarum necessitate suoque arbitrio ortam iam pridem floruisse orationem et ad res in iudicio vel apud plebem agendas et ad decreta similiaque conficienda aptam, iterum iterumque affirmabat Wilamowitzius.[3]) Cuius arboris indigenae ramus quasi est etiam Antiphontis, quam tractavimus, commentatio.

De poetis elegiacis.

Etenim apparet seriorem eam esse, quam quae tamquam *ἐπίδειξις* ad artem commendandam conciliandosve discipulos multis hominibus coram a sophista quodam publice recitata sit. Pronuntiabat auctor intimam suam sententiam, suam, ut verbo utar Graeco, *γνώμην*. Et pronuntiabat — si non nulla alia re permotus nisi vi illa divina, qua poeta, quae corde tenet, verborum corpore quasi vestita extra se ponere

[1]) cf. e. g. Duemmler Ak. 79: „jüngerer Sophist“ (cf. p. 235), Wilamowitz Her. II 277: „sehr untergeordneten Geist“, Th. Gomperz G. D. I 349: „der zu den minder bedeutenden Mitgliedern der Zunft gezählt wird.“

[2]) cf. Duemmler Kl. Schr. I 224.

[3]) Von des attischen Reiches Herrlichkeit, p. 38, 1, A. u. A. I 169 sqq.

cogitur[1]) — ut traderet, quae sit expertus, vel amico vel paucis amicis. In vulgus sua edi fortasse omnino noluit; quare titulo forte carebant. *Γνώμη* vero haec de vita est vitaeque bonis, quanti sint aestimanda, quomodo usurpanda, de vitae igitur totius singularumque aetatum pretio, de divitiis, de matrimonio, uxore, liberis, de amicitia, de fama gloriaque, de temperantia, de recte vivendi modo atque ratione. Eodem igitur modo eadem tractata habemus, quae apud veteres poetas elegiacos, nisi quod, quae singula hi singulis tractaverunt carminibus, Antiphon omissis, ut videtur, rebus civilibus uno libro complectebatur, ut eius, quod diximus „Lebensweisheit", tota evaserit disciplina (System). Exemplorum copia cohaerentiam libello Antiphonteo nonnumquam artissimam cum veterum elegiacorum[2]) carminibus intercedentem probare atque affirmare possum; sed satis esse puto me eam posuisse,[3]) praesertim cum suadeant eam et alia, quae in interpretandis fragmentis adscripsimus, et sermo poeticus, de quo quoniam postea accuratius nobis erit agendum, ad interim conferas, quae exposuerunt Bureschius (l. l. pp. 83 sqq.), Wilamowitzius (Ind. lect. Gott. l. l. p. 19), Nordenus (Antike Kunstprosa I 120), Joëlius (l. l. 649, 1), Drerupius (Jahrb. f. klass. Philol. Suppl. N. F. XXVII (1902) pp. 304—305). Unum commemorem animum illum omnem vitam perstringentem atque accusantem (Pessimismus). Quippe qui animus, cum ab initio usque apud Graecos valuisset, — ut pulcherrime quamvis in maius forte relata, quoniam excipere sese usque et hunc animum vitam vituperantem et diversum laudantem (Optimismus) apparet, descripsit Jacobus Burckhardt noster (Zur Gesamtbilanz des griechischen Lebens. Gr. Kulturgesch. II pp. 338—424) —

[1]) cf. quae exposuerunt Ed. v. Hartmann (Philosophie des Unbewussten 1869 pp. 617/8) et Jac. Burckhardt (Gr. K.-G. II 387 sq.).

[2]) Et omnino omnis poeseos didacticae, qualis est et apud Hesiodum et apud Pindarum et apud tragicos Athenienses.

[3]) Praeter reliquias ipsas conferas s. v. Zeller Ph. d. Gr. I[4] pp. 93—97, J. M. Schulze Der ethische Gedankengehalt der griech. Elegiker u. Jambographen. Progr. Albertinum Freiberg 1889.

in versibus illis poetarum elegiacorum adprime deprehendatur.[1]) Idem vero hic animus, si quidem nostrorum temporum exemplis fidere licet, in tempus illud post bella Persarum confecta, quo iuventus inter narrationes de parentum aetate gloriae plena adulta, cum non haberet ipsa res gerendas, cogitationibus, quales existunt, cum quam quietissimi quamque beatissimi quasi sumus, lugubribus vacabat, multo melius quadrat quam in illos belli Peloponnesiaci annos, quibus laborantibus omnibus non, quae uxor liberive afferunt, molestiae minutae erant deflendae, sed patriae labor atque res adversae, quibus cum de vita esset certamen, vitam hanc acerrime defendentes iam non ipsam accusabant, sed condiciones tantum praesentes, desiderioque quodam spe parto et antiquiora tempora beatiora somniabant et re publica aliter instituta omnes et miserias et calamitates tolli posse sperabant.

Quas ob res equidem non dubito, quin quae versibus elegiacis cum extra Athenas Callinus, Archilochus, Semonides, Tyrtaeus, Mimnermus, Phocylides, Xenophanes, Parmenides, Hipponax, praesertim Theognis, tum Athenis Solon nec non alii pronuntiaverant, pronuntiabant postea Critias et Thrasymachus, ad eadem proferenda Antiphon cum forma sententias ipsas quasi amplificans absque arte poetica ad philosophiam quamvis non omnino progrediens, inductus nimirum et Jonicorum tam historicorum quam philosophorum et Atheniensium ipsorum oratorum exemplo Atheniensium princeps adhibuerit orationem pedestrem.

De libro de Athenarum re publica scripto.

Posterioris, quam nominavi, aetatis et alii illi de rebus civilibus melius administrandis libelli sunt, quos enumerabat Wilamowitzius (A. u. A. I 169 sqq.), et de re publica Atheniensium notissimus, qui Xenophontis nomine perperam inscribebatur. Quocum Antiphonteum accuratius comparare mihi non licere quam maxime doleo; quippe qua comparatione

[1]) cf. praeter exempla a Burckhardtio praebita Schulzi cap. IV, nec non quae scimus de Archelai illa elegia (fg. 1 Diels.).

et diversissimum eum esse appareret[1]) et priori tempori assignandum.

De sophistis.

Quod idem docent, quae de sophistis, quos solemni nomine appellare consuevimus, Protagora,[2]) Gorgia,[3]) Hippia, Prodico, adhuc scimus.[4]) Quibuscum collatus Antiphon *ὁμονοίας* auctor ut serior, ita obsoletior et rudior videtur.[5]) Quocirca ut ab uno vel altero pependerit, cui efficiat, quam minime credideris. Nec non facillime refutari possunt, quae ad talia probanda attulit Duemmlerus. Etenim fg. 52, quod contra Prodicum dictum esse putabat (Ak. p. 172 „. . mit deutlicher Beziehung auf Prodikos sagt Antiphon"), omnino non impugnare doctrinam quandam philosophi, sed civium vitam perversam supra iam demonstravimus. Et quidnam de his rebus Ceus sensit? Nescire nos confitendum. Nam fragmenta nil praebent; quae vero sophistae tribuuntur in Axiocho et Eryxia dialogis Platoni false adscriptis, quin ad eum redeant, quam maxime dubium est, ut vel Dielesius utriusque dialogi locum inter testimonia dubia posuerit. Et Eryxiae quidem loco (p. 397 D sqq.) quae Socrates statuisse quondam dicit Prodicum: *τοῖς μὲν καλοῖς κἀγαθοῖς τῶν ἀνθρώπων ἀγαθὸν* (scl. *τὸ πλουτεῖν*) *καὶ τοῖς ἐπισταμένοις, ὅπου δεῖ χρῆσθαι τοῖς χρήμασιν, τούτοις μὲν ἀγαθόν, τοῖς δὲ μοχθηροῖς καὶ ἀνεπιστήμοσι κακόν. ἔχει δὲ καὶ τἄλλα πράγματα οὕτω πάντα· ὁποῖοι γὰρ ἄν τινες ὦσιν οἱ χρώμενοι, τοιαῦτα καὶ τὰ πράγματα αὐτοῖς ἀνάγκη εἶναι,* ea iam diu homines docti Socratica potius quam Prodicea esse statuebant.[6]) Et re vera in Euthydemo

[1]) Anonymus quoque alloqui quendam se fingebat.

[2]) cf. Protagorae de deis sententiam. Contuleris etiam haud sine emolumento, quae de iisdem senserit Critias.

[3]) Sane non ut Gorgias Olympiae sua declamabat Antiphon.

[4]) De Diogene Apolloniata cf. p. 34.

[5]) Non igitur faciendum cum Duemmlero, qui (Ak. 235): „Aufklärung, inquit, ist die ursprüngliche Devise der Sophisten, sie vertritt Protagoras auf erkenntnistheoretischem, Hippias auf sozialtheoretischem Gebiete, Antiphon und Kritias ziehen atheistisch-egoistische Folgerungen."

[6]) cf. M. Heinze, Sächs. Ber. 1884 p. 333.

Platonico (p. 279 sqq.) eadem fere suo ipsius nomine Socrates profert. Gravissimum puto, quod in narratione illa de Prodico (397 D—399 A) *καλὸς κἀγαθός* laudatur, poetae explicantur, *ἀρετὴ διδακτόν* dicitur, a deis nil nisi *ἀγαθά* i. e. *εὐπραξία* (non *εὐδαιμονία* vel *εὐτυχία*) *καὶ καλοκἀγαθία* impetratur, quod *σοφός* ab hominibus ad philosophiam rudibus velut *μαινόμενος* irridetur. Quae omnia Cynicorum sectam sapiunt; neque casu evenire puto, quod omnia fere, quae attulit Welckerus (Rh. M. I 604), ex Antisthenis eiusque sectatorum scriptis desumpta sunt. Ne longus sim, accedo Joëlio, qui et Eryxiae et Euthydemi locum Antisthenica vel Cynica praebere demonstrabat (l. l. II 136 sqq., 206, 3. 4, 204, 850—855), Antisthenisque esse existimo sententiam, qua non esse *ἀγαθά* et *κακά* dicitur, sed omnis res *ἀγαθόν* fieri bene usurpata, male *κακόν*. Sed similia quaedam docuisse concedamus Ceum philosophum. Ut usurparentur divitiae, tunc commendavit. Quid vero tunc erat, cur impugnaretur ab Antiphonte, qui eadem docuit? Adstipulantur temporum rationes. Nam priorem esse apparet, qui usurpando opus esse dixerit, posteriorem, qui sapienter et bene usurpando. Antiphontis igitur verba praeire opus est Socratis Prodicique, qui dicuntur. Neque Prodicum igitur impugnavit Antiphon, ut Duemmlerus putavit, neque Antisthenem vel Antisthenis praecursorem, ut voluit Joëlius (II 657) — quid enim valuisset in Cynicum *φειδόμενοι* illud *καὶ προστιθέντες ἥδονται*? — sed Antiphontea correxit Prodicus vel Antisthenes. Axiochi autem Prodicea vix genuina esse supra iam posuimus (p. 73). Sed rursus inesse vera concedamus. Tunc Prodicus vitam vituperasse, mortem velut liberatricem laudasse, alteram autem vitam existere negavisse putandus. Altera igitur vita hac neglecta ut cuperetur, suadere non potuit. Non erat igitur, cur Antiphon in eum inveheretur. Adhibuisse potius eum dicatur. Quae est Bureschii (pp. 79—80, 78) sententia. Sed, cum spuria sint Prodicea, contraria fuisse debet, quae intercesserat, ratio. Ex Antiphonte enim pendebant, quae insunt in Axiocho, itemque quae

consimillima protulit vir doctus Cratetis,[1]) Cynica nimirum utraque.

Quae vero Duemmlerus ad Ak. p. 80 (adn. 2) adnotabat: „Das Wort (scl. *θεαιδής*) wird nicht als *θεο-ειδής*, was *θεουδής* werden müsste, sondern als *θεο-αιδής* gottesfürchtig zu fassen sein. Die Stelle geht offenbar auf den uns von Platon Protagoras p. 322 A erhaltenen Satz jenes Sophisten: *Ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄνθρωπος θείας μετέσχε μοίρας, πρῶτον μὲν [διὰ τὴν τοῦ θεοῦ συγγένειαν] ζῴων μόνον θεοὺς ἐνόμισε, καὶ ἐπεχείρει βωμούς τε ἱδρύεσθαι καὶ ἀγάλματα θεῶν.* Wie Antiphons Schrift *περὶ ἀληθείας* ersichtlich auf Protagoras Bezug nimmt, so behandelten die Bücher (?) *περὶ ὁμονοίας* dasselbe Thema wie der Mythus des Protagoras, die Grundbedingungen sozialer Existenz,“ ea una cum vocis *θεαιδής* interpretatione cadunt, etsi de rebus civilibus Antiphontis liber egisset neque fabula illa a Platone relata Antisthenica potius esset quam Protagorea (cf. Joëlii locos in indice enumeratos). Si vero (Ak. 258—259) coniciebat „dass Hippias dem Sophisten Antiphon in der Forderung der Zurückführung idealer friedlicher Zustände vorangegangen sei.“ reiciisse te satis habeo ad ea, quae supra de libri Antiphontei argumento exposuimus.

De rhetoribus.

Neque sermonis, quas praebet, argutias a rhetoribus petisse, quamquam hoc contendit harum rerum qui peritissimus est Nordenus, auctorem infra explicabimus. Nimirum neque sophistas illos neque rhetores magistros habebat, sed poetas.

De libri loco complexio.

Antiqui igitur temporis novissimus erat libellus Antiphonteus,[2]) aetatis antisophisticae quasi stolo extremus; sed idem erat etiam novi temporis primus, germen quasi eius arboris, e qua naturi erant Socratis flores, Platonis fructus. Etenim Antiphonti libentius quam Archelao moralis philosophiae principis laudem tribueris.[3])

[1]) De loco Democriteo fere eodem cf. infra p. 83 adn. 2.

[2]) *Ἀλήθειαν* ultimum fuisse libellum intellegemus philosophiae, quam nominant, naturalis.

[3]) Iniuria harum herum mentionem desideras in memoria veterum; quippe e qua non haecce sola exciderint.

Nam cum singula de vita degenda nova non multa protulerit,[1]) eo ultra priores processit, quod totam quasi constituit disciplinam. Quare in ethices historia narranda ponendus est inter duos illos, a quo utroque eo differt, quod pro sententiis tamquam *ἀφορισμοῖς* positis continuam instituit disputationem, Heraclitum ut Jonem iam prius oratione soluta usum, et Democritum, in cogitationibus, ut Eduardus de Hartmann cum Schopenhauerio collatus, sine dubio longius progressum.[2])

Apparet igitur non nullo numero libellum esse in litterarum Graecarum historia iniuriaque eum neglectum quasi et contemptum iacuisse.[3]) Ut forte ignoscas longiori disputationi meae, qua, quo fuerit argumento atque consilio, prudentius fortasse aliquantum exposui.

Quid sua aetate liber valuerit.

Relinquitur, ut quaeramus, quid sua aetate valuerit.

Euripides, Comici, Critias, Democritus.

Atque Euripidem quidem usum esse Antiphonteis supra iam demonstravimus. Apud comicos autem poetas nullam inveni certam allusionem; nimirum omnino forte non, ut ederetur, conscriptus erat libellus, certe non, ut ab omni legeretur civitati. Ignotus relictus esse videtur nisi perpaucis iisque talibus cogitationibus re vera studentibus. Ita Critiam libellum respexisse putaverim (cf. fgg. 23 et 29 Diels.), ita Democritum (cf. adn. 2). Nobis inprimis interest Socraticorum Platonis et Antisthenis.

Plato.

Academicus autem nominatim quidem Antiphontem hunc numquam attigit; cum vero non haberet, cur nomen reticeret, ne *ἀνώνυμον* quidem vel laudasse illum vel impugnasse videtur. Duemmleri certe testimonia haec quoque omnia facillima sunt redargutu. Fg. 53 enim eadem vituperari,

[1]) Doleo, quod locos conspirantes apponere longum est.

[2]) Ne horum quidem locos congruentes laudare possum. Conferas tamen Democriti titulum *περὶ εὐθυμίας* fragmentaque 33, 40, 77, 81, 82, 97—101, 175, 183, 184, 200, 202, 224, 227, 235, 236, 275—278, praesertim 285, quod cum persimillimo Antiphonteo 51 cohaerere aliquo modo putaveris.

[3]) Cum Zellerus libelli nostri mentionem non fecerit, ne alii quidem, quicumque philosophiae Graecae narrabant historiam, eum laudant nisi unus Th. Gomperz.

quae in Gorgia Platonico Socrates suadeat „welcher im Leben nur Vorbereitung auf das Sterben erblickt und aus dem *κατθανεῖν* ein neues *ζῆν* erwartet“ (Ak. 80), quamvis adstipulatus sit Duemmlero Joëlius (II 670/71), interpretatione nostra perpensa facile negabis. Neque fragmenti 54 fabulam respondere (Ak. 81) existimaveris „dem Gleichnis im Gorgias (493 E sqq.) vom enthaltsamen Manne, der seinen Reichtum in wohlverschlossenen Gefässen hat.“ Nam Gorgiae loco de *ἐπιθυμίᾳ* agitur, Antiphonteo de divitiis, ut hic quaeratur, num divitiae per se bonae, illic num *οἱ μηδενὸς δεόμενοι εὐδαίμονες* sint. Ex eo sane, quod utroque loco lapis obviam fit (Joël l. l., Nestle p. 340), nil efficiam. Nam apud Platonem homo, qui non utatur divitiis, i. e. *ἐγκρατής* vel *μηδενὸς δεόμενος*, appellatur lapis, apud Antiphontem lapis abscondi iubetur. Et quid? nonne id ipsum, quod respuit Callicles, *ὥσπερ λίθον ζῆν μήτε χαίρων μήτε λυπούμενος* Antiphon appetebat atque unum cupiebat? Rectissime igitur monuisse opinor Duemmlerum (p. 81): „Nun bestehen allerdings zwischen der Hedonik des Antiphon und des Kallikles bedeutende Unterschiede,“ neque assentiar alteri viri docti loco (ib.): „Demnach ist es höchst wahrscheinlich, dass auch Antiphon Farben zu dem Gemälde (i. e. Calliclis personae depictionem) geliefert hat.“ Quare ne in simili quidem loco morandum, quem attulit Duemmlerus p. 82 sqq. (Legg. X pp. 886 sqq.).[1] Qui scrutationis eventus congruit cum exordii nostri sententia, iam non habuisse Platonem, cur Antiphontem scriptorum philosophicorum auctorem spectaret.[2])

Antisthenes.

Contra quin Antisthenes libellum a nobis revocatum respexerit, dubium putare vix possum.

(Xenoph. Mem. I 6).

Quaeritur sane, num Antiphon libelli auctor idem sit atque Antiphon ille in dialogo Socratico apud Xenophontem adhuc servato ab Antisthene inductus. Et hoc quidem

---

[1]) Quae adtinent res physicas, in capite de *Ἀληθείᾳ* tractabimus.

[2]) Fieri potest, ut, ubi in Antisthenem invehebatur Academicus, in Antistheneis etiam contra Antiphontem dicta hic illic lateant. Sed incertissima haec omnia sunt (cf. Joëliana de Gorgiae loco).

quivis concedetur ad libellum ipsum redarguendum dialogum haud esse conscriptum, quoniam non solum alia prorsus refelluntur, sed etiam in Antiphontis Xenophontei et moribus et sententiis permulta insunt a libri illius auctore abhorrentia, in Socratis contra nonnulla satis conspirantia. Sed confirmant haec dumtaxat nostram sententiam, qua fictione facta Antiphonti tamquam personae Isocratem subesse posuimus. Quaestio igitur est, num Antiphon libelli *περὶ ὁμονοίας* auctor et talis fuerit, qualis Cynico tam ingratus esset, ut libenter eo tamquam persona uteretur, et talis, quali ne Isocratis partes agendae tribuerentur, sive ob similitudinem quandam sive temporis maiore spatio interiecto, non obstaret vulgaris opinio. Hoc argumentis probare non oportet; sed illud quoque probabile est.

Nam contraria re vera sensisse Antisthenem et Antiphontem *ὁμονοίας* auctorem, cum eundem diceret hunc atque oratorem, et tragicum, re forte ultra veritatem aliquantum elata, recte tamen statuit Joëlius. Cuius cum alia capita tum de Antiphonte et Antisthene singulorum testimoniorum gratia inspicere velis. Sed neque Antiphon in Antisthenem invehebatur (Joël II 652, 657), neque Antisthenes, quae e Stobaeo habemus, in dialogo quodam Antiphontem fecit pronuntiantem (Joël ib.); immo eas ipsas sententias, quarum nunc etiam legimus frustula, et respiciendo et impugnando finxisse videtur suas ipsius nonnullas (Joël ib.). Nimirum, cum Antiphon, vir ille urbanus, nobilis, mollitia animi fere muliebri, non esset, qui in arenam descenderet, ingratus fuisse debebat pugnatori illi rustico, loco nato humili, sensibus paene carenti.

Atque deos quidem Antiphon omnia dantes fecit hominibus, sed non bona modo, ut divitias et intelligentiam, sed etiam mala, ludentesque fere mortalium misero genere, quibus egerent ad sua perpetranda; Antisthenes et deos homini providere atque consulere et homines, aerumnarum quam maxime ipsos auctores, sui arbitrii esse, ipsorumque et voluntatem et vim non nihil valere existimabat.

Ille, cum deos voluptatibus propositis in calamitates illicere vitamque omnem et *λύπαις* et *πόνοις* a deis missis turgere posuisset, et voluptatibus et omni rei agendae renuntiare suasit. Erat, ut Joëlianis utar, „passivistisch, pessimistisch, tragisch“. Hic distinxit diversas actiones; nam esse et malas et bonas, *τὸ ποιεῖν* scl. et *τὸ πράττειν*; hoc vero minime obstare hominis saluti, immo hominis id ipsum esse, ut ageret, deosque vel deum bonum hominibus agentibus esse succursurum; ut optime viveret, qui agendo vitae condiciones ipse quam optimas sibi redderet. Erat „activistisch, optimistisch, intellektualistisch-dynamisch“. Et *ἡδονάς*, quas *λύπας* subsequerentur, cum Antiphonte Antisthenes quoque et vituperabat et reiciebat. Sed non ideo reiciebat, quod *λῦπαι* eas sequerentur, sed quod, sicut *λῦπαι* ipsae, id sint, quod nominabat *πάθη*; neque eo, quod nil prorsus ageremus, arcenda illa putabat, sed corporis mentisque duritia. Nec non posuit voluptates, quas non exciperent *λῦπαι* quaeque non essent *πάθη*, *ἡδονὰς* scl. *μετὰ πόνους*. Quas *εὐφροσύνας* (*εὐφραίνειν*) maluit vocare, quam *ἡδονάς* (*ἥδεσθαι*).[1]) Saepissime vero quamvis voluptatem tamquam modulum adhiberet, non adhibebat eam re vera nisi vel paradoxo quodam sibi ipsi non ignoto usus, vel ipse nescius priorum ratiocinationis modo quasi irretitus. Profecto modulum habebat *πόνον* ipsum, quem. non — ut Antiphon — molestiam et dolorem („Mühe und Leid“), sed laborem bonae frugis plenum („fruchttragende Arbeit“) esse voluit. Detrectare vitam arte indolentiae (*τέχνη ἀλυπίας*) noluit, sed vincere atque superare virtute (*ἀρετῇ*). Itaque etiam matrimonium, labores etsi afferret pro voluptatibus, liberorum pariendorum causa ineundum esse dixit.[2]) Et eo quoque cum Antiphonte consensit Cynicus, quod non comparari sed usurpari divitias iussit. At non sufficiebat ei *τὸ χρῆσθαι*, immo postulabat *τὸ καλῶς χρῆσθαι*, quo homo non ipsius solius spectaret utilitatem, sed salutem omnium; quippe qui Christianus tamquam ante Christum et ipse melior fieri

[1]) cf. Joël cap. V.

[2]) cf. Joël II 1002, II 357.

et alios meliores reddere cuperet. Quare pecunia non fenori data frui,[1]) sed aliis donando carere voluit. Assensus igitur Antiphonti perstringenti eorum stultitiam, qui parcendo atque corradendo vitam ipsam negligerent, tamen, quae de fruendi summa lege aestimanda, de omni labore reiciendo, de vita altera non exspectanda suaserat, negare debebat.[2]) Nec non cum Antiphonte facere potuit *σωφροσύνην* laudante. Quin iure ad fg. 58 Joëlius adnotabat: „Ist dies Fragment echt, dann ist Antiphon „Sokrates“ (Mem. IV 5, quem locum ad Cynicum referebat vir doctus) verwandter als Xenophon lieb ist.“[3]) At tamen hac quoque in re et impugnare debebat Antiphontea et emendare; neque ideo tam, quod contempsit, ut Joëlius dixit „die ordinäre *σωφροσύνη* und Selbstbeherrschung als Tauschgeschäft, wo man auf die Lust nur verzichtet aus Raffinement, um der späteren, grösseren Lust willen; — quandoquidem hoc Antisthenes ipse faciebat magisque etiam quam Antiphon, utpote qui *παραχρῆμα ἡδονάς* non propter *ἡδονὰς ἐπιγενησομένας* refutaret, sed propter *λύπας ἐπιγενησομένας*; — quam ideo, quod *σωφροσύνη* peteretur ob inertiam languoremque animi commoditatis tranquillitatisque (*ἀπραξίας* quasi) causa, neque ob virtutem virtutisque gratia. Nam Antistheni *σωφροσύνη* non solum id erat virtutis, quod optime nominabat Jacobus Burckhardt (Gr. Kulturgesch. II 343) „der negative Pol, der Zügel“, sed etiam „der positive Pol und der Sporn“, quamobrem eandem eam esse voluit quam et *σοφίαν* et *καλοκἀγαθίαν* (cf. Burckhardt ib.), ut etiam semper inesset homini, neque subito tantum (Antiph. fgg. 58/9) ei obveniret.[4]) Praeterea Antiphon *ἀν-αρχίαν* reprehendebat, Antisthenes *ἀ-νομίαν*.

[1]) Antiph. fg. 54, cf. Joël 657.

[2]) Contra Antisthenem scripta esse fgg. 126 sq. Bl. (Joël II 656/7), quae supra exposuimus, perpensis minime credideris.

[3]) Neque vero hanc ob congruentiam ab Antisthene fictum esse dicere licet fragmentum; quoniam sua ipsius pronuntianda vix dederit adversario.

[4]) Non spectari Antisthenem fragmenti 59 interpretatione iam evicimus.

Impugnans igitur Antisthenes successisse videtur Antiphonti, ut Schopenhauerio Socialistae, qui dicuntur.[1]) Et ne Nietzschius quidem deest, ut ita dicam, antiquus, cum illi inter Graecos responderint Critias tyrannus Calliclesque Platonicus.

(Stob. flor. 124, 41.)

Et habemus puto[2]) adhuc testimonium, quod Cynicum libellum Antiphonteum adhibuisse demonstret. Simillimam enim *ὁμονοίας* fg. 52 sententiam Socrati tributam legimus in Stob. flor. 124, 41.[3]) Differt et eo, quod, cum in lusu tesseram reponere omnino non licere putet, lusui illi vitam non imparem, immo parem dicit, et maioris momenti eo, quod de singulis vitae partibus neque de vita omni agit. Nam cum Antiphon contenderit: Si vitam tuam peregisti, peracta est, neque, ut melius agatur, ab initio repeti tibi potest, Socratis sententia haec est: Si in vita tua pravi quid fecisti, factum est neque infectum fieri potest, ut tesseris ludens, quam stulte posuisti, reponere non potes, sed, quod evenit ex illa posita, id tibi accipiendum. Quibus cum differant duo enuntiata Antiphontisque secundum Socratis interpretari Harpocrationis verba vetent, mirum tamen in modum consentiunt in reliquis omnibus, ut rationem quandam intercedere inter ea equidem negare nolim; nec dubito, quin si alterum auctorem ab altero sua habuisse existimemus, antecessisse Antiphon dicendus sit. Ex Antiphonte igitur penderet Sophronisci filius. At quo tamen e scripto eius enuntiatum Stobaeus habuit, quoniam omnino non exstabant? E Socraticis igitur, qui dicuntur, unus vocem magistro dumtaxat tribuisse videtur. Nec, qui

(1 Perspexit Antiphon id, quod Eduardus de Hartmann appellabat „Das erste Stadium der Illusion“; Antisthenes vera etiam putabat secundum et tertium.

2) Omitto et Platonicos illos locos incertissimos et ea, quae apud consolatores posteriores, quorum princeps forte fuit Cynicus (cf. Joël), deprehendimus nonnulla cum libelli Antiphontei argumentis convenientia (cf. Buresch. l. l.).

3) *Σωκράτους· πεττείᾳ τινὶ ἔοικεν ὁ βίος καὶ δεῖ ὥσπερ ψῆφόν τινα τιθέσθαι τὸ συμβαῖνον. οὐ γὰρ ἔστιν ἄνωθεν βαλεῖν οὐδὲ θέσθαι τὸν ψῆφον.*

fuerit, dubium relinquetur, sermonem si accuratius inspexerimus. Antiphontis enim enuntiatum mira est concinnitate gravique brevitate; comparatam rem in una periodo constrictam habet cum comparanda; non gloriatur imagine luculenta proferens illam et exornans velut novi aliquid et admirandi, sed, quae doceat imago, demonstrasse sese continet; ei, qui legit, excogitandi facultatem relinquit; non omnia, quae potest, pronuntiat. Clarum totum atque acutum, nec non grave. Quodcumque cogitat mente, verbis exprimendi habet auctor potestatem. Et mirum, quo modo verba ponat: Imago enim in initio stat, res illa, de qua agitur, acerrime opposita medium tenet, enuntiatum clauditur negatione severa: fieri non potest! Equidem nescio, quo pacto melius aptiusve sententia pronuntiari possit. Contra Socrates, qui nominatur, plurimis verbis utitur, membra amat respondentia, neque repetere eadem verba timet; non est, quod legentis iuris faciat; pulticulam quasi liquidam apponens imaginem primo solam adfert, deinde, quae demonstret, explicat; non subordinat sententias, sed coordinat (*ἔοικεν καὶ δεῖ*), *γὰρ* particulam adhibet; non audet dicere *βίος πεττεία ἐστίν*, sed solum *ἔοικεν ὁ βίος πεττείᾳ τινί*; gaudet pronomine indefinito, quo rei ipsi vis demitur; non voce concreta *πεττός*, sed abstracta *πεττεία* utitur; *ψῆφος* vocabulum usurpat pedestri orationi aptius quam *πεττός* (cf. Poll. 9,97, Soph. fg. 396 N².); habet *δεῖ* et *ἔστιν* cum infinitivo, neutrum singulare participii substantivi in modum adhibitum (*τὸ συμβαῖνον*). Maiora vult quam potest; molestus est in verbis ponendis. Antisthenica nos legere unumquodque vocabulum demonstrare censeo.[1]) Antisthenes igitur similia atque Antiphon nec non noto eius enuntiato protulisse videtur.

(Anonymus Jamblichi.)

Accedit forte rationis huius testimonium alterum. Nam alias quoque antiquitatis habemus reliquias cum libello An-

1) Duemmlerus, qui (Kl. Schr. I 175, 1) locum attulit, in dubio reliquit, utrum confusione dumtaxat lemmatum an a Cynico verbum Socrati datum esset. De comparationibus Cynicis cf. praeterea E. Weber De Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore (Leipz. Stud. X) pp. 173 sqq., Duemmler Ak. 88.

tiphonteo convenientes. Fragmenta illa dico sophistica vetera, quae ex Jamblichi muro Byzantino et protraxisse et reposuisse Blassii de nostris studiis non minimum est meritum. Quae fragmenta certe pretiosissima, qui invenerat, vir sagacissimus diligentissime, quae perscrutatus esset, deliberatis si non omnia, at tamen pleraque ex Antiphontis *Ἀληθείας* libro descripta esse sibi persuasit. Sed hunc libellum fontem fuisse neque Blassius probabat nisi fragmento uno a se ipso, ut congrueret cum Antiphonteis, mutato,[1]) et libelli ipsius, qualia restitui possunt, lineamenta prorsus vetant. Neque sententiam firmare possunt, quae nuperrime proferebat Stanislaus Schneider (Wien. Stud. XXVI (1904) pp. 13—24), utpote quae non nitantur nisi et Spengeli loci Hermogenei emendatione falsa et fragmentorum Jamblichensium cum *ὁμονοίας* libelli argumento, quod Gomperzius adumbraverat, discrepantia (cf. supra p. 74 adn. 2). Atque re vera Gomperzius (l. l. adn. 3), argumentis tamen omissis, fragmenta ad *ὁμόνοιαν* relegabat, nec non Duemmlerus (Kl. Schr. I 158 sqq.) cum huius libelli frustulis Jamblichensia quamvis dubitanter contulit. Sed abhorrere ea a libello Wilamowitzius (A. u. A. I adn. 1.) iam adnotabat; qui potius de Protagora cogitare voluit. Cui sententiae adstipulatus Dielesius fragmentis Anonymi Jamblichi sub nomine in librum suum receptis haec proposuit: „Verfasser unbekannt, dem Inhalte nach am nächsten Protagoras und Demokrit.“ Refutabatur vero ipsa a St. Schneider.[2])

Persuasum mihi est, Antiphontem *ὁμονοίας* auctorem non fuisse auctorem fragmentorum saeculo, ut dixi, V exeunti sine dubio tribuendorum; immo libello, e quo decerpta sunt, et aliorum ut Critiae sententias et illius impugnatas olim esse.

[1]) *ὧδε οὖν ἔσται τοῦτο, εἰ τοῖς νόμοις τε καὶ τῷ δικαίῳ ἐπικουροίη. τοῦτο γὰρ τάς τε πόλεις καὶ τοὺς ἀνθρώπους τὸ συνοικίζον καὶ τὸ συνέχον εἶναι* Jamblichensibus cum Antiphontis fg. 44 *τοὺς νόμους μεγάλους ἄγοι* collatis scripta fuisse putavit apud Antiphontem *ὧδε οὖν ἔσται τοῦτο, εἰ τοὺς νόμους τε μεγάλους ἄγοι καὶ τῷ δικαίῳ ἐπικουροίη* (p. 11).

[2]) Libellum v. d. K. Toepfer (Die sogen. Fragmente des Soph. Antiph. bei Jamblichos. Progr. Arnau 1902) parare mihi non potui.

Quod ut argumentis firmem et aliae multae difficilesque quaestiones absolvendae et omnia haec fragmenta prorsus recte nondum intellecta fusiore disputatione enarranda sunt; nec non aptius tota res tractatur in scrutatione quadam, qua non in singulos auctores singulosve libellos, sed in singulas, quae tunc hominibus cordi erant, quaestiones singularumque vocum adhibitarum notiones inquiratur.[1]) Quod cum huius loci non sit, sufficiat posuisse diversas prorsus esse, quae saepissime obviam fiunt voces, diversosque auctorum animos;[2]) neque locorum comparandorum afferam nisi principes perpaucos, quibus et posterioris temporis et auctori libelli *περὶ ὁμονοίας* inimicum anonymum Jamblichi fuisse demonstretur.

Etenim anonymus et alia bona omnia et *δόξαν* et *εὔκλειαν* nisi laboribus parari non posse exponit. Primam autem appetendam *ἀρετήν*. Cum vero omni re non solum *χρῆσθαι*, sed *εἰς ἀγαθὰ καὶ νόμιμα καταχρῆσθαι* oporteat, quoniam *εἰ εἰς ἄδικά τε καὶ ἄνομα χρήσεταί τις τῷ ὑπάρχοντι ἀγαθῷ, πάντων κάκιστον ἐστὶν τὸ τοιοῦτον καὶ ἀπεῖναι αὐτὸ κρεῖσσον ἢ παρεῖναι*, quaerendum esse, qui virtute optime usurus sit. Nimirum illum, qui sit *πλείστοις ὠφέλιμος ὤν*. Quam vero ad rem divitias usurpandas esse ita, ut omnibus saluti sint, non fenori datae, neque donatae, sed *κοιναὶ* atque *κυκλούμεναι* factae. Atque maxime interesse, *ἐγκρατέστατον εἶναι πάντα ἄνδρα διαφερόντως*. Itaque neque vitam nimii faciendam neque pecunias. Amare enim homines pecuniam, quod calamitates varias timeant cupiantque honores, vitam, quod stultitia quadam inducti alteram fore non sperent. Neque *πλεονεξίᾳ* indulgendum; cum homo sit *ζῷον πολιτικόν*, et natura ipsa, ut una vivant homines, suadeatur. At opus esse salvatrice illa, quae est *εὐνομία*, et calamitates detractante et *τύχας* optime gubernante et *παραψυχὴν τῶν χαλεπῶν* praebente.

[1]) Qua scrutatione Duemmlerianis consimillima Schneideri ex sententiis non nullae redarguentur, ut de Antiphontis libello Thucydidis fonte.

[2]) cf. quae optima exposuit Joëlius pp. 674, 677 sqq. De sermone atque lingua postea adnotabimus.

Quibus emendari quasi Antiphontea elucet. Emendationes autem, non dubium, quin Cynicae quam simillimam referant rationem. Neque dubitavit Joëlius (l. l. II pp. 673 sqq.) Cynicorum principem ipsum auctorem dicere. Cui sententiae si fides habenda est, Antisthenes priore quodam libello eoque neque dialogo neque Socratico, ante Socratis igitur mortem fortasse edito, inter aliorum etiam Antiphontis praecepta respexit, posteriore et Socratico et dialogo, post mortem igitur magistri divulgato, ut Isocratis novi adversarii vituperationes refutaret, vetere adversario iam mortuo tamquam persona usus est. Verisimillimum igitur est Antiphontem libelli περὶ ὁμονοίας auctorem Cynico in animo fuisse.

Quis fuerit auctor.

Talis vero, qualem cognovimus, auctor distinguendus sine dubio est a poeta tragico, neque ad eum pertinere possunt narrationes illae fabulosae de consolatore, quamvis fictae esse videantur ex eis, quae cum de Rhamnusii eloquentiae vi circumferebantur,[1]) tum de libri περὶ ὁμονοίας argumento. Num vero idem dicendus sit atque haruspex Aristoteleus, vel libri interpretatorii auctor, discernendi nullam adhuc habemus ansam. Quin hoc in ambiguo relinquendum, num idem fuerit atque Rhamnusius; quoniam, quae testimonia quidem praebeant de hoc, cum ὁμονοίας auctoris vita, moribus, sententiis nonnulla conspirent, nonnulla discrepent, neque absolvatur quaestio eo, quod legentibus caput Xenophonteum de utroque cogitare licere intellexerimus.

Advocanda apparet, quae Rhamnusio scripta esse constet. Horum autem cum sententiis, animo, sermone priusquam comparemus ὁμονοίας auctoris, quae reliqua, cum non sint orationes, sophistae, qui dicitur, assignare solent, examinemus. Sed capita haec in aliam reiciamus, liceat, locum. Nam nolui proponere hac mea dissertatione, nisi quae de libro περὶ ὁμονοίας effecisse mihi videbar. Quae brevissime comprehensa haec sunt:

[1]) cf. simillima de Gorgia (quae Antiphontis fautor ad hunc forte transtulit) Plat. Gorg. 456 B.

Conclusio.

Amicum vel allocutus re vera vel alloqui se fingens auctor, quomodo optime i. e. ab aerumnis quam liberrima vita haec tam una quam miseriarum turgens institui posset, praecipiebat.

Apellari igitur potuit libellus Τέχνη ἀλυπίας, atque eadem quamvis uberiore disputatione tractavit, quae versibus suis veteres olim poetae elegiaci.

Editus autem ab Atheniensi Athenis cum post annum 442 tum ante 438 (vel 431) antiquissimus omnino est, quorumcumque notitiam habemus libellorum pedestri oratione Atticoque sermone conscriptorum. Locumque tenet inter Heraclitum et Democritum.

Respectum vero habuisse eius apparebat cum Euripidem tum Antisthenem. Qui dialogo a Xenophonte (Mem. I 6) exscripto Antiphontis inimici persona tectum redarguebat Isocratem.

Alia, quae praebent testimonia, ad auctorem pro certo referre nequimus; neque diiudicare licuit, num idem fuerit atque orator Rhamnusius.

Librum ipsum refectum legas, quaeso, in appendice.

[Dissertatione mea prelo iam subiecta libellus mihi pervenit, quem de eodem argumento conscripsit Edgar Jacoby Berolinensis (De Antiphontis sophistae περὶ ὁμονοίας libro. Diss. inaug. Berol. MCMVIII)].

ΑΝΤΙΦΩΝΤΟΣ ΠΕΡΙ ΟΜΟΝΟΙΑΣ.

Εὐκατηγόρητος πᾶς ὁ βίος θαυμαστῶς, ὦ μακάριε, καὶ οὐδὲν ἔχων περιττὸν οὐδὲ μέγα καὶ σεμνόν, ἀλλὰ πάντα σμικρὰ καὶ ἀσθενῆ καὶ ὀλιγοχρόνια καὶ ἀναμεμειγμένα λύπαις μεγάλαις (51 D.). ⟨Miserrime enim vivunt non solum bestiae, sed etiam⟩ ἄνθρωπος, ὅς φησι πάντων θηρίων θεειδέστατον γενέσθαι (48). ⟨Age respice illos, quales sunt⟩ Σκιάποδες (45), Μακροκέφαλοι (46), ὑπὸ γῆν οἰκοῦντες (47). ⟨Sed condiciones ponamus quam optimas, miseri tamen sumus. Nam⟩ τὸ ζῆν ἔοικε φρουρᾶι ἐφημέρωι, ⟨ἐν ἧι⟩ αὐλιζόμενοι (68) ⟨διατρίβομεν⟩, τό τε μῆκος τοῦ βίου μοίραι μιᾶι, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἣν ἀναβλέψαντες πρὸς τὸ φῶς παρεγγυῶμεν τοῖς ἐπιγιγνομένοις ἑτέροις (50).

⟨Unaquaeque vero hominis aetas doloribus abundat. Nam ἅμα ταῖς⟩ βαλβῖσιν (69) ⟨mala atque labores incipiunt. Infans cruciatur homo, cruciatur iuvenis⟩. φέρε δὴ προελθέτω ὁ βίος εἰς τὸ πρόσθεν καὶ γάμων καὶ γυναικὸς ἐπιθυμησάτω. αὕτη ἡ ἡμέρα, αὕτη ἡ νὺξ καινοῦ δαίμονος ἄρχει, καινοῦ πότμου. μέγας γὰρ ἀγὼν γάμος ἀνθρώπωι. εἰ γὰρ τύχοι μὴ ἐπιτηδεία γενομένη, τί χρὴ τῆι συμφορᾶι χρῆσθαι; χαλεπαὶ μὲν ἐκπομπαί, τοὺς φίλους ἐχθροὺς ποιῆσαι, ἴσα φρονοῦντας ἴσα πνέοντας, ἀξιώσαντα καὶ ἀξιωθέντα· χαλεπὸν δὲ κεκτῆσθαι κτῆμα τοιοῦτον, δοκοῦντα ἡδονὰς κτᾶσθαι λύπας ἄγεσθαι. φέρε δή, μὴ τὰ παλίγκοτα λέγωμεν, λεγέσθω τὰ πάντων ἐπιτηδειότατα. τί γὰρ ἥδιον ἀνθρώπωι γυναικὸς καταθυμίας; τί δὲ γλυκύτερον ἄλλως τε καὶ νέωι; ἐν τῶι αὐτῶι δέ γε τούτωι, ἔνθα τὸ ἡδύ, ἔνεστι πλησίον που καὶ τὸ λυπηρόν· αἱ γὰρ ἡδοναὶ οὐκ ἐπὶ σφῶν αὐτῶν ἐμπορεύονται, ἀλλ' ἀκολουθοῦσιν αὐταῖς λῦπαι καὶ πόνοι. ἐπεὶ καὶ ὀλυμπιονῖκαι καὶ πυθιονῖκαι [καὶ οἱ τοιοῦτοι ἀγῶνες] καὶ σοφίαι καὶ πᾶσαι ἡδοναὶ ἐκ μεγάλων λυπημάτων ἐθέλουσιν παραγίγνεσθαι· τιμαὶ γὰρ καὶ ἆθλα, δελέατα ἃ ὁ θεὸς ἔδωκεν ἀνθρώποις,

μεγάλων πόνων καὶ ἱδρώτων εἰς ἀνάγκας καθιστᾶσιν. ἐγὼ γάρ, εἴ μοι γένοιτο σῶμα ἕτερον τοιοῦτον, οἷον ἐγὼ ἐμαυτῶι, οὐκ ἂν δυναίμην ζῆν, οὕτως ἐμαυτῶι πολλὰ πράγματα παρέχων ὑπέρ τε τῆς ὑγιείας τοῦ σώματος ὑπέρ τε τοῦ καθ' ἡμέραν βίου [ἐς τὴν ξυλλογὴν] ὑπέρ τε δόξης καὶ σωφροσύνης καὶ εὐκλείας [καὶ τοῦ εὖ ἀκούειν]. τί οὖν, εἴ μοι γένοιτο σῶμα ἕτερον τοιοῦτον, ὅ γέ μοι οὕτως ἐπιμελὲς εἴη; οὐκοῦν δῆλον, ὅτι γυνὴ ἀνδρί, ἐὰν ἦι καταθυμία, οὐδὲν ἐλάσσους τὰς φιλότητας παρέχεται καὶ τὰς ὀδύνας ἢ αὐτὸς αὑτῶι ὑπέρ τε τῆς ὑγιείας δισσῶν σωμάτων ὑπέρ τε τοῦ βίου τῆς συλλογῆς καὶ ὑπέρ τε τῆς σωφροσύνης καὶ τῆς εὐκλείας; φέρε δὴ καὶ παῖδες γενέσθωσαν· φροντίδων ἤδη πάντα πλέα καὶ ἐξοίχεται τὸ νεοτήσιον σκίρτημα ἐκ τῆς γνώμης καὶ τὸ πρόσωπον οὐκέτι τὸ αὐτό (49). ⟨Nam nil praebent nisi⟩ φηλώματα (71). ⟨Curandum enim, ut et liberaliter educentur et bene nutriantur. Si vero quam optime culti sunt, fit tamen, ut non probi evadant, sed nequiores; atque qui summus est dolor, cum victu, qui sufficiat, comparato et ad aetatis florem et ad probitatem pervenerunt, tunc, si Fortunae placet, morte in Tartarum carissimi surripiuntur (cf. Eurip. Med. 1090 sqq.). Vides igitur ne⟩ ἀνδρεία⟨ν⟩ (67a) ⟨quidem carere doloribus. καὶ καινὰς πάσχουσι λύπας οἱ γέροντες γενόμενοι, καινὰς παρέχουσι τοῖς φίλοις⟩· γηροτροφία γὰρ προσέοικε παιδοτροφίαι (66).

Εἰσὶ ⟨δέ⟩ τινες οἳ τὸν παρόντα μὲν βίον οὐ ζῶσιν, ἀλλὰ παρασκευάζονται πολλῆι σπουδῆι ὡς ἕτερόν τινα βίον βιωσόμενοι, οὐ τὸν παρόντα· καὶ ἐν τούτωι παραλειπόμενος ὁ χρόνος οἴχεται (53a)· πολυτελέστατον ⟨γὰρ⟩ ἀνάλωμα ὁ χρόνος (77 + 82), ἀναθέσθαι δὲ ὥσπερ πεττὸν τὸν βίον οὐκ ἔστιν (52). οἱ δὲ ἐργαζόμενοι μὲν καὶ φειδόμενοι καὶ ταλαιπωροῦντες καὶ προστιθέντες ἥδονται οἷα δή τις ἂν εἰκάσειεν ἥδεσθαι, ἀφαιροῦντες δὲ καὶ χρώμενοι ἀλγοῦσιν ὥσπερ ἀπὸ τῶν σαρκῶν ἀφαιρούμενοι (53). ⟨οὐδὲν δὲ λυσιτελεῖ τὸ⟩ φιλοχρηματεῖν (103). ἔστι δέ τις λόγος, ὡς ἄρα ἰδὼν ἀνὴρ ἄνδρα ἕτερον ἀργύριον ἀναιρούμενον πολὺ ἐδεῖτό οἱ δανεῖσαι ἐπὶ τόκωι· ὁ δ' οὐκ ἠθέλησεν, ἀλλ' ἦν οἷος ἀπιστεῖν τε καὶ μὴ ὠφελεῖν μηδένα, φέρων δ' ἀπέθετο ὅποι δή· καί τις καταμαθὼν τοῦτο ποιοῦντα ὑφείλετο· ὑστέρωι δὲ χρόνωι ἐλθὼν οὐχ εὕρισκε τὰ χρήματα ὁ καταθέμενος. περιαλγῶν οὖν τῆι συμφορᾶι τά τε ἄλλα

καὶ ὅτι οὐκ ἔχρησε τῶι δεομένωι, ὃ ἂν αὐτῶι καὶ σῶιον ἦν καὶ ἕτερον προσέφερεν, ἀπαντήσας δὲ τῶι ἀνδρὶ τῶι τότε δανειζομένωι ἀπωλοφύρετο τὴν συμφοράν, ὅτι ἐξήμαρτε καὶ ὅτι οἱ μεταμέλει οὐ χαρισαμένωι ἀλλ' ἀχαριστήσαντι, ὡς πάντως οἱ ἀπολόμενον τὸ ἀργύριον. ὁ δ' αὐτὸν ἐκέλευε μὴ φροντίζειν, ἀλλὰ νομίζειν αὑτῶι εἶναι καὶ μὴ ἀπολωλέναι, καταθέμενον λίθον εἰς τὸ αὐτὸ χωρίον· 'πάντως γὰρ οὐδ' ὅτε ἦν σοι, ἐχρῶ αὐτῶι, ὅθεν μηδὲ νῦν νόμιζε στέρεσθαι μηδενός'. ὅτωι γάρ τις μὴ ἐχρήσατο μηδὲ χρήσεται, ὄντος ἢ μὴ ὄντος αὐτῶι οὐδὲν οὔτε πλέον οὔτε ἔλασσον βλάπτεται. ὅτωι γὰρ ὁ θεὸς μὴ παντελῶς βούλεται ἀγαθὰ διδόναι ἀνδρί, χρημάτων πλοῦτον παρασχών, τοῦ φρονεῖν ⟨δὲ⟩ καλῶς πένητα ποιήσας, τὸ ἕτερον ἀφελόμενος ἑκατέρων ἀπεστέρησεν (54).

⟨Sed etiam sunt, qui nimis cupidi vivendi omnia adire omnibusque frui velint, qui⟩ ῥάιθυμοι (cf. 56), ⟨quorum in mentem eis venit⟩, ἀθεώρητα (67) ⟨persequantur⟩. Δειλὸς ⟨δὲ μέν, ὅστις ὀκνεῖ⟩, ἵνα οὐκ ἔργον ὀκνεῖν (55), νόσος ⟨δὲ⟩ δειλοῖσιν ἑορτή· [οὐ γὰρ ἐκπορεύονται ἐπὶ πρᾶξιν?] (57)· κακὸς δ' ἄν, εἰ ἐπ' ἀποῦσι μὲν καὶ μέλλουσι τοῖς κινδύνοις τῆι γλώττηι θρασύνεται καὶ τῶι θέλειν ἐπείγει, τὸ δὲ ἔργον ἂν παρῆι, ὀκνεῖ (56). ὅστις δὲ ἰὼν ἐπὶ τὸν πλησίον κακῶς ποιήσων δειμαίνει, μὴ ἃ θέλει ποιῆσαι, ἁμαρτὼν τούτων ἃ μὴ θέλει ἀπενέγκηται, σωφρονέστερος· ἐν ὧι γὰρ δειμαίνει, μέλλει· ἐν ὧι δὲ μέλλει, πολλάκις ὁ διὰ μέσου χρόνος ἀπέστρεψε τὸν νοῦν τῶν θελημάτων· καὶ ἐν μὲν τῶι γεγενῆσθαι οὐκ ἔνεστιν, ἐν δὲ τῶι μέλλειν ἐνδέχεται γενέσθαι. ὅστις δὲ δράσειν μὲν οἴεται τοὺς πέλας κακῶς, πείσεσθαι δ' οὔ, οὐ σωφρονεῖ, ἐλπίδες δ' οὐ πανταχοῦ ἀγαθόν· πολλοὺς γὰρ τοιαῦται ἐλπίδες κατέβαλον εἰς ἀνηκέστους συμφοράς, ἃ δ' ἐδόκουν τοῖς πέλας ποιήσειν, παθόντες ταῦτα ἀνεφάνησαν αὐτοί. σωφροσύνην δὲ ἀνδρὸς οὐκ ἂν ἄλλος ὀρθότερόν τις κρίνειεν, ἢ ὅστις τοῦ θυμοῦ ταῖς παραχρῆμα ἡδοναῖς ἐμφράσσων αὐτὸς ἑαυτὸν κρατεῖν τε καὶ νικᾶν ἠδυνήθη αὐτὸς ἑαυτόν· ὃς δὲ θέλει χαρίσασθαι τῶι θυμῶι παραχρῆμα, θέλει τὰ κακίω ἀντὶ τῶν ἀμεινόνων (58). ὅστις δὲ τῶν αἰσχρῶν ἢ τῶν κακῶν μήτε ἐπεθύμησε μήτε ἥψατο, οὐκ ἔστι σώφρων· οὐ γὰρ ἔσθ' ὅτου κρατήσας αὐτὸς ἑαυτὸν κόσμιον παρέσχετο (59).

⟨Habere vero hanc σωφροσύνης virtutem maxime interest. Nam ea neglecta pro eo, quod est ὁμόνοια, ἀναρχία oritur⟩.

ἀναρχίας δ' οὐδὲν κάκιον ἀνθρώποις· ταῦτα γιγνώσκοντες οἱ πρόσθεν ἄνθρωποι ἀπὸ τῆς ἀρχῆς εἴθιζον τοὺς παῖδας ἄρχεσθαι καὶ τὸ κελευόμενον ποιεῖν, ἵνα μὴ ἐξανδρούμενοι εἰς μεγάλην μεταβολὴν ἰόντες ἐκπλήσσοιντο (61). ⟨Sed indolem quidem dedit deus, qua⟩ *εὐηνιώτατοι* (*εὐηνιώτατα* 70) ⟨alii sunt, alii⟩ *ταραχωδέστατοι* (cf. 70)· *Πρῶτον* ⟨*δ'*⟩, *οἶμαι, τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐστὶ παίδευσις· ὅταν γάρ τις πράγματος κἂν ὁτουοῦν τὴν ἀρχὴν ὀρθῶς ποιήσηται, εἰκὸς καὶ τὴν τελευτὴν ὀρθῶς γίγνεσθαι. καὶ γὰρ τῆι γῆι οἷον ἄν τις τὸ σπέρμα ἐναρόσηι, τοιαῦτα καὶ τὰ ἔκφορα δεῖ προσδοκᾶν· καὶ ἐν νέωι σώματι ὅταν τις τὴν παίδευσιν γενναίαν ἐναρόσηι, ζῆι τοῦτο καὶ θάλλει διὰ παντὸς τοῦ βίου, καὶ αὐτὸ οὔτε ὄμβρος οὔτε ἀνομβρία ἀφαιρεῖται* (60). ⟨Neque parvi faciendi sunt amici⟩; *οἵωι* ⟨*γάρ*⟩ *τις ἂν τὸ πλεῖστον τῆς ἡμέρας συνῆι, τοιοῦτον ἀνάγκη γενέσθαι καὶ αὐτὸν τοὺς τρόπους* (62). *αἱ δὲ νέαι φιλίαι ἀναγκαῖαι μέν, αἱ δὲ παλαιαὶ ἀναγκαιότεραι* (64). ⟨. . . .,⟩ *ἀλλὰ εἰδότες τὴν διάθεσιν ἀκούουσιν* (63 ?)· *πολλοὶ δ' ἔχοντες φίλους οὐ γιγνώσκουσιν, ἀλλ' ἑταίρους ποιοῦνται θῶπας πλούτου καὶ τύχης κόλακας* (65).

Vita.

Rudolphus Guilelmus Altwegg, Basiliensis, natus sum Basileae a. d. VIII Idus Decembres anni 1883 patre Alberto, matre Margareta Oser. Dum gymnasium Basiliense frequento, praematura morte pater mihi abreptus est. Maturitatis testimonium adeptus vere anni 1902 academiam Basiliensem adii, ut Theodori Pluess, magistri humanissimi, exemplo adprime permotus studiis operam darem philologicis, divisusque quasi eodem usque amore in Germanorum, quo in Graecorum linguas atque litteras incubui. Peregi Basileae decies senos menses, bis Berolini.

Docuerunt me viri doctissimi Baumgartner, Bethe, Bruckner, R. Burckhardt †, Dragendorff, Heman, Hoffmann-Krayer, Joël, Koerte, Meier, Muenzer, Reinle, Schoene, Sommer, Stueckelberg Basilienses, Diels, Hermann, Kekule v. Stradonitz, R. M. Meyer, Pfleiderer, Reich, Roediger, Roethe, E. Schmidt, v. Wilamowitz, v. Winterfeld † Berolinenses.

Seminariis exercitationibusque me admiserunt Bethe, Heman, Joël, Koerte, Meier, Muenzer, Schoene, Sommer; Diels, Roethe, Schmidt, Winterfeld.

Ut in Antiphontem inquirerem, Hermannus Diels auctor fuit. In conscribenda autem dissertatione consiliis frui mihi licuit Alfredi Koerte, Caroli Joël, Hermanni Schoene. Praeter quos quam maxime sibi me devinxit John Meier.

Et his viris humanissimis et reliquis, qui disciplina me formaverunt, cum gymnasii tum universitatis praeceptoribus gratiam semper habebo sinceram.
